

Apud Petrum Ricchini. *Superiorum permissu.*


Prætorem, et Patronum eadem dat pagina, sitque
Tutior hoc, illo an clarior, ambiguum

PRÆTORUM CREMONÆ SERIES CHRONOLOGICA,

Additis nonnullis, & præcipue ad ejus Urbis historiam.

OPVSCVLVM

FRANCISCI ARISII,

PATRIÆ SUÆ NOBILISSIMÆ ORDINUM CONSERVATORIS.

Ad Illustrissimum Dominum

DON ANTONIUM STOPPANUM

REGIUM, ET DUCALEM MEDIOLANI SENATOREM, AC CREMONÆ, EJUSQUE PROVINCIÆ AMPLISSIMUM PRÆTOREM, INTEGRO QUADRIENNIO, MODO PRÆSIDEM VIGILANTISS. MAGISTRATUS SANITATIS IN HOC MEDIOLANI DOMINIO &c.



CREMONÆ, MDCCXXXI.

Apud Petrum Ricchini. *Superiorum permissu.*

In Politicis nihil magis necessarium quam Judex. Imo Judex in Civitate est sicut Anima in Corpore.

Abulensis super Exodo, ex Arist. 3. Polit.

Illustrissimo D. Don Antonio Stoppano

Regio, & Ducali Senatori Mediolani, Prætori Amplissimo Cremonæ.

FRANCISCUS ARISIUS.

S. P. D.



Vantæ Nobilitatis, Dignitatis æque, & Auctoritatis fuerit, ac sit Officium Prætoris præcipuè in magnis, & conspicuis Urbibus pro Justitiæ administratione, nemo est, qui dubitet Illustrissime Senator, Amplissime Prætor. Justitia enim, ut Aristoteli placet, (1) *non pars quædam virtutis est, sed tota virtus; quocirca cum sit omnium virtutum præclarissima, merito hæc bonorum ornamenta suis defert Administris, ut per eorum ora, nisi maxima cum majestate loquatur.*

Et quod res sic se plane habeat: qui ad hoc sublime honoris culmen evehuntur, jure, ac prærogativa Nobilium insigniri apertissimum est: (2) *sed id minime mirandum: cum veræ Nobilitatis origo Justitia sit, nec non fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ, sine qua nihil potest esse laudabile.* (3) *Quoniam verò Nobilitas potissimum ab Antiquitate derivatur, & quo antiquior, eo major, ut per plures Textus, & scribentes latissimè probat Aguirre* (4). *Prætorum ortus antiquissimus undequaque perspicitur. Habemus enim usque tunc temporis, quo pertinacia Tribunorum plebis tirannicè imperabat (nam Romæ sine Consulibus quinque annis præfuere)* (5) *Lucium Sextum ex Plebe Consulem inauguratum fuisse; Deindè P. P. C. C. Ædicto Praturam institutam, novumque Magistratum Spurio Furio Camillo, M. Filio contulisse; Et ecce hujus primi Prætoris aspectus in Urbe veneratus; Quod si altius est indagandum, ferè ab incunabulis Romæ aliqua Prætoris Imago refulsit; si credamus Grucchio* (6). *Cognita autem hujus præstantissimi Muneris necessitate, nam Justitia in humana societate est necessaria, ut Anima in Animante; nulla regio benè culta unquam fuit, quæ sub Prætoria potestate se submittere maximo honori non duxerit. Tanta verò auctoritas non gregariis hominibus concedenda, sed Viris tum literis, tum genere illustribus est elargienda, ut admonet noster Platina hisce verbis* (7); Non ex quovis genere hominum, & præsertim ex illis, quos

(1) lib. 1. Ethicor. cap. 1. paulò antè fin., quem recenset Antunez. de Portugal. de donat. regiis lib. 2. cap. 12. n. 21.

(2) Bald. in l. Judices C. de dignit. lib. 12. & post eum Mastril. de Magistrat. lib. 5. cap. 3. n. 12.

(3) Tull. lib. 3. de off. Antunez d. tract. & lib. cap. 12. n. 21.

(4) De success. Regni Portugal. p. 2. n. 70.

(5) Pompon. Læt. de Rom. Magist. de Præt. & X. Viris.

(6) de Comit. Rom. lib. 2. cap. 2. pag. 67. ter.

(7) lib. 2. cap. 6. de Princip.

 altiùs

altiùs fortuna, non virtus, & generositas evexit, sed vera nobilitate deligendos esse Prætores, quorum opera, & præsentia Principum sortes emicant splendidiores; *& plenius ex Jurisprudentum rescriptis elucescit* (8). *Quod si magna est Prætorum Nobilitas, non minor eorumdem est Dignitas, quam post Divinam, Imperatoriam, & Regiam Majestatem, Prætoriam succedere perhibent Auctores, qui Principes etiam Civitatum eos appellare non dedignantur. Neque temere hoc dictum; cum ipsis tribuatur Majestas, quam eisdem adscribit* J. C. *Paulus* (9), *quæ tamen verenda Majestas non ipsum summum in Rep. Imperium significat, sed dignitatem, & auctoritatem, quæ Legibus armata & Potestate non parum instructa est* (10). *Sicuti verò Prætores à Præessendo vocantur, cum Potestas ad instar Præsidis dicatur, ut* Tit. Liv. *innuit, &* Varo *a Præeundo denominat, quasi* Præitor, *quod praire t Jure, & Exercitu; ita manifestè colligitur Prætores in Imp. cæteros antecellere, & cunctis anteponi* (11), *quia etiam Imperatores ipsi aliquando non sunt dedignati Prætoris titulo condecorari; immò, cui parebat Exercitus, & in Tribunali priori loco sedebat, is communi Vocabulo Prætor dicebatur* (12).

Sed quid dicendum de Prætorum Auctoritate? Ea enim etiam priscis temporibus adeo se protendebat, ut ejus esset, & Judices cogere juxta tradita per M. Tull. (13), *& Arbitros ad judicandum deputare, promulgatis Edictis* (14). *Quid ni ex lege ipsa duodecim Tabularum Prætori Jurisdictio sub hac formula tribuebatur.* Juris disceptator, qui private judicet, judicarive jubeat, Prætor esto, huic Potestati parento (15). *Perinde ac si nefas esset ab ejusdem decretis, vel in minimo discedere. Quemadmodum verò, ut superius innuimus, post Divinam, Imperatoriam, & Regiam Majestatem illa Prætoris effulget, teste etiam Socino* (16), *ita eo usque Prætores extolluntur, ut Personam Principis, & Regis repræsentent: quinimò ipsi pars Regii Corporis dicantur,* (17) *quando Senatorio Charactere præsignantur; Jurisdictio enim, quæ universalis est Principi, & Regi in tot eorum Dominiis, peculiaris est, & singularis Prætori in Urbe, & Provincia, quibus præsidet Juredicundo; Essent quippè inertes leges, & otiosæ* (18), *nisi hominis ministerio verterentur in usum, atque ex Civium consensu gravem, prudentemque Virum nanciscerentur, cujus voce, & auctoritate vires suas explicarent; quod munus peculiare est Prætoris in Magistratu. Is enim Legum quodammodo vita est, & manus, quæ vel languentes sublevat, vel obscuras illustrat, vel dilatat angustas; Totaque Jurisdictio in eo insidet, quæ est Potestas de jure publico introducta cum necessitate jusdicendi, & æquitatis statuendæ, quæ quidem non est apud Populum,*

(8) l. 1. C. de dignit. lib. 12. & plur. text., quos refert Mastrill. de Mag. lib. 2. cap. 8. n. 3.

(9) l. 1. ff. de Just., & jure, cum aliis, quos refert Mastril., ubi supra cap. 3. lib 5. n. 1.

(10) Ziegler. de jur. Majest. lib. 1. cap. 10. n. 4.

(11) Idem Aguir. dicta p. 2. n. 262.

(12) Idem Grucchius ut supra.

(13) Orat. pro Cluent & Rosc. Amerin.

(14) Idem Epist. ad Terr.

(15) Alciat. Parerg. Jur. lib. 3. cap. 3.

(16) Cons. 22. n. 4 vol. 1.

(17) Conrad. in Templ. om. Jud. lib. 1. cap. 1. de Imper. §. 3. n. 14. Mastrill. lib. 5. cap. 3. n. 17.

(18) Gravin. de ort., & progres. Jur. Civ. n. 35.

pulum, sed apud Rectores Populi (19), *cujus caput est, sicut Episcopus Cleri juxta* Bartolum. *Quæ dicta velim, dumtaxat, de Prætoribus dignè Togatis, quales sunt, ut diximus, Prætores Urbium, qui etiam Provinciarum Patres, ac Præsides ritè nuncupantur.*

(19) in l. 1. ff. de Jurisd. om. Jud. Innocent. in c. cum accessissent de Const.

Infinita propemodum in hac adeo fæcunda messe colligi possent. Atqui doctissimi, pluresque eruditi de hac materia opportune pertractant, ut comode unusquisque intueri possit, silentio hæc obvolvam. Nihil enim Gracculo cum fidibus, *ut ferunt adagia: Cum mihi sit satis parum aliquid de Antiquitate, Dignitate, & Auctoritate Prætoris significare.*

Quæ profecto, Senator Illustrissime, Tria hæc inextinguibilia Lumina in Te (omissis Majorum Splendoribus) planè emicant. Etenim, si respiciamus Familiam insignioribus titulis ornatam, æque ac clarissimis in hac Patria Affinitatibus, & Primariæ Nobilitati adstrictam, inter Patritios Cives jure quidem merito Te possumus connumerare! Si Dignitatem Auditoris Generalis Cæsareorum Exercituum, quam ad plures annos in toto Mediolani Dominio intrepide decorasti, si postmodum Senatoriam, quæ culmen est ceterarum dignitatum, nec non virtutis, & meritorum præmium (20), *præcipuè in isto Excellentissimo Consistorio, pro ut Tu, ab Augustissimo CAROLO VI. Imperatore, & Hispaniarum Rege D. N. inter illos P. P. C. C. lectus fuisti, ut de Te repetendum veniat carmen illud* (21) Principibus placuisse viris non ultima laus est; *Eo magis Prætoria dignitas augetur cum Senatoria præcipue conjuncta; Si demum Auctoritatem, & Jurisdictionem in hac celeberrima Urbe, ac ampla Provincia, quibus per Quadriennium Jus integerrime tribuisti, ab exitu hæc omnia, sicuti Sol in meridie dilucide patent. Dimitto reliquas, quibus eminens dotes, cum innumeræ sint, & notissimæ. Epistolam nimirum, non Panegyrim scribere assumpsi. Accipe demum Amplissime Pater, quæ tuis Auspiciis obsequenti animo voveo: Et scias hujusce Opusculi mei dedicationem Tibi optimo jure competere: nam a Te principium recognoscit, & finem. Vale, Vir undequaque Illustrissime, meque benignè respicias ut humanissime soles.*

(20) Ruginel. de Senat. nu. 10. in Præfat.

(21) Horat. lib. 1. ep. ad Sævam.

PROLOQUIUM.

DE Prætoribus, sive, ut ajunt, Potestatibus Cremonæ plurima, atque plenè collecta adnotaveram, ut de eis non pauca edere possem; Verum hæc omnia in fatali præcipuæ partis meæ domus incendio, una cum aliis Mss. in mea Bibliotheca Historica asservatis, concremata periere. Studia similia, quibus etiam a teneris annis delectabar, a maximo infortunio potius, quam ab ætate ingravescente depressus, ne quidem per umbram suscipere excogitaveram; quando Illustrissimus Dominus meus DON ANTONIUS STOPPANUS Reg. & Duc. Mediolani Senator, modo Cremonæ in secundo Biennio Prætor, percupiens a me seriem suorum in hac præclarissima Sede Antecessorum ab anno 1500. ad hanc diem, sopitum in me genium suis nutibus excitavit, ut non tantum ab anno præcitato, quam a superioribus annis, quibus Cremonensium Prætorum a nostris Historicis ex Archivis injecta est mentio, initium sumere non dubitaverim; Cum antiquioribus sæculis Patria nostra a Civibus, tanquam Respublica, sub nomine Consulum, regeretur.

Hinc in antiquis Duces habui Chronicon, editum Mediolani 1725. typis Societatis Palatinæ Tom. VII. cui tit. Rerum Italicarum Scriptores &c. pag. 629. & seq. ac pag. 643. ubi leguntur *Laterculi Magistratuum Cremonensium*, *ex Codice Turricini* annum ad usque 1336., cujus Auctor fuit Jacobus Turresinus (non Turricinus) J. C. Cremonen. clarissimus Chronographus, & cujus archetypus extat penes Josephum M. Bressianum J. C. Caus. Colleg. & excellentem in Patria Advocatum (ut perhibent tot Juris elaboratissimæ Allegationes, earumque plurimæ prælis traditæ, quarum altera in Causa Privilegii Immunitatum Comitum de Arrivabenis Mantuanis, legitur apud Mansium Consult. 652. Tomo VII.) ex collectis verò per ejus Avum Josephum, solertissimum Patriæ Historiæ Instauratorem, & ab eodem J. C. & Advocato accomodatus Uni ex illius inclytæ Societatis Studioso, ut ederetur. Multa pariter desumpsimus ex Jacobo Gadio in suis pro Patria scriptis, apud me forte fortuna ab incendio servatis. Et ex

Antonio Campo in Hist. Cremonæ, Italicè ibi vulgata 1585. - a Lud. Cavitello in suis Annalibus, ibi pariter excusis 1588., nec non a memorato Josepho Bressiano Patriæ Historiographo in sua Hist. Cremonæ manuscripta, duobus tomis in fol. distincta, ex qua plura habui a Francisco M. Bressiano Carena, tum legalis scientiæ, tum expolitæ eruditionis paucis secundo, inter Fundatores Arcadum Cremonensis Coloniæ Onamo Glippiano, laudati Josephi Pronepote, meoque Affini charissimo: Demum ex Patriæ Archivis.

Nonnullas itidem adnimadversiones subjicere necessum duco.

Primo, ne Nominum, & Cognominum Prætorum nudum catalogum contexerem (licet in iis ex primaria, & antiqua Italiæ nobilitate floruerint,

rint, ut mea Patria illustrius nihil desiderare potuerit) aliqua brevi tamen methodo ad eruditionem, & ad Patriam attinentia, tempore illius Prætoris acta, cujus fit mentio addere opportunum esse, non sum veritus.

Secundo, si memorantur aliquando Prætorum Assessores, intelligo cæteris aliis non recensitis, qui in eodem ministerio adfuerunt, nullum præjuditium eorum nomini, vel dignitati inferre; sicuti si multa nostrorum Civium hic prætermitto, illud est, ne repetam, quæ jam scripsi in Tomis *Crem. Liter.* Capitaneos Populi aliquando indicavi, cum plerique ex istis ab aliquibus inter Prætores conumerentur.

Tertio, sciendum est Prætores nonnullos in munere permansisse, ultra vel extra ejus tempus; illo enim anno Prætor exhibetur, qui majorem ipsius anni partem expleverit: præsertim quando Prætores pro semestri tantum eligebantur.

Quarto, ut citationes in brevioribus notis facilime dignoscantur, hæc subdere non erit incongruum. E. G.

Antonius Campus - *Camp.* cujus non semel verba Italicè expono.
Archivum Secretum *Arch. Secr.*
Archivum Dictariæ *Arch.*
Chronicon Cremonese *Chron.*
Codex Turricini *Codex*
Jacobus Gadius *Gad.*
Joseph Bressianus *Bress.*
Ludovicus Cavitellus *Cavit.*

APPROBATIONES.

Series Chronologica Prætorum Cremonæ, *a felicissimo Illustrissimi D. Francisci Arisii J. C. calamo concinnata, multiplici eruditione referta, neque a Catholicis Institutionibus, neque a Civilibus Sanctionibus aliena, digna est, quæ in cæterarum Cremonensium Historiarum Serie per impressionem Typographicam collocetur: Suique Auctoris nomen, quamquam satisfuperque a benemerito de Patria nostra lumine, & ornamento editis in operibus inclarescat, nova tamen sua luce illustrius reddat, & immortale.*

Cremonæ ex Orphanotrophio x. Kal. Novemb. Æræ Christianæ Anno xxxi. Saculo viii. supra x.

D. Ignatius Tadisi Præsb. Cong. Somas. S. Officii Consul.

Ex commissione Reverendiss. P. F. Hermenegildi Todeschini Ord. Præd. S. T. M. & S. Officii Cremonæ Inquis. Gener. accuratè perlegi Prætorum Cremonæ Seriem Chronologicam, *inter cætera memorabilia ab Illustrissimo D. Francisco Arisio J. C. edita, opus quam laudabile, illudque Catholicis, & Civilibus Constitutionibus, bonisque moribus consonum, & tamquam eximiæ tanti Auctoris virtutis novum specimen Typis, & posteritati committendum censeo. IV. Non. Decemb. Anno MDCCXXXI.*

Jo: Bap. de Comitibus Med. Phys. Revisor librorum S. Officii Cremonæ.

Attentis suprascriptis attestationibus

IMPRIMATUR

F. Hermenegildus Todeschini Inquisitor Gener. Cremonæ.

Vidit Prosper Beccaria Vic. Prætorius L. T.

AN-

ANTONIUS STOPPANUS,

FRANCISCO ARISIO J. C.

Ordinum Conſervatori Cremonæ.

S. P. D.

Nunquam mens mea imprimendæ Cremonenſium Prætorum chronologicæ ſynopſi aquievit, reluctante ſemper animo, quod ipſe ego illi componendæ in cauſa fuerim, cum nomenclaturam aliquorum ſupra ſæculum decimum quintum Cremonæ Prætorum, quorum memoria erat obliterata, a te deſideraverim. Urgebat in oppoſitum juſtitia, ut debitum tanto labori præmium concederetur, quod nulla ſit unquam ætas deletura: Suadebat æquitas, ne tantorum Virorum memoria deliteſceret, illorumque geſta, uni tantum ſcripturæ tradita unico illius poſſeſſori innoteſcerent; Fortiuſque publica impellebat utilitas, ne tanti operis eruditio privatæ tantum Bibliothecæ commendaretur. Verum cum me quoque inter tam Magnificos Prætores adſcriptum inſpicerem ſemper obſtitit animus, jure dubius ne potius tenuitatis meæ ſucceſſione Illuſtrium Anteceſſorum merita obumbrarentur, quam illis ego clareſcerem. Stetit ergò ſententia nunquam me conſenſurum hujus operis publicæ editioni, propterea illud tibi reſtituere (& ſi toties requiſitus) ſemper renui. Cum verò ex Aureo Noviſſimo Opuſculo Theſauri Literarii Italiæ *Jo: Alberti Fabricii, Hamburgi edito, viderim pag. 289. te in ibi recenſito Opere tuæ Cremonæ Literatæ, Opus etiam* de Prætoribus Cremonæ *promiſiſſe, omnis obſiſtendi, immò, & differendi perempta eſt ratio; non enim, quæ Batavis, ultimiſque Cymbris publice ſpopondiſti privata poteſt conſideratione deficere. Suſcipe ergo tuum, quem remitto, librum, digno prelo tradendum, ut omnibus fiat ſatis. Vale VI. Kalendas Junias MDCCXXXI.*

Illu-

Illuſtriſſimo, & Ampliſſimo Viro
DON ANTONIO STOPPANO
CÆSAREO SENATORI, ET NUNC PRÆSIDI MAGISTRATUS SANITATIS IN MEDIOLANI DOMINIO.

FRANCISCUS MARIA BRESSIANUS CARENA.

S. D. P.

CUM duobus abhinc menſibus in hac florentiſſima Civitate adeſſem, Teque Illuſtriſſime STOPPANE pro munere meo ſalutatum veniſſem, mihi fauſtiſſime contigit, ut tunc ſubtracto brevi temporis intervallo a publicis occupationibus, quibus pro Reipublicæ utilitate continuo diſtineris, bonis literis, ut ſæpiſſime ſoles, indulgeres. Pro tua humanitate itaque particeps factus ſtudiorum, in quibus dulciſſime conquieſcebas, intellexi te legendo delibare eruditiſſimi Alciati annotationes in Cornelium Tacitum, quæ reconditarum rerum notionem tibi ſæpenumero aperiebant. Talis, ac tantus Vir, qui non ſolum in Jure Civili enucleando, ſed in omni ferme ſcientiarum genere preclariſſime emicuit, in cauſa fuit, ut de iis Vitiligatoribus verba faceremus, qui Juriſconſultos frequenter vellicant, ac demordent, ſi ad alia etiam ſtudia ſe conferant; perinde ac ſi cum cæteris bonis artibus fœdus inire juris ſcientia non poſſet. Adducenti autem mihi tam Veterum, quam Recentiorum ſimilima exempla, qui leges cum una, vel altera diſciplina perfectiſſime copularunt, Tu Ampliſſime SENATOR inſtitutum ſermonem intercidiſti: Ecquid (dicens) Teſtes alienos proferre contendis? Habet Patria tua FRANCISCUM ARISIUM, qui tametſi graviſſimus Juriſconſultus ſit, Poeſim, atque Hiſtoriam feliciſſime pertractavit; Quin etiam nuperrime in medio obſtrepentis Fori de Prætoribus Cremonenſibus accuratiſſime ſcripſit; quod opus plurimarum rerum non vulgari cognitione exornatum quamprimum Typis evulgabitur. Ut autem doctiſſimi Auctoris merita in multiplici doctrinarum claſſe conquiſita, quarum fama ubique increbeſcente quindecim, & ultra celebrioribus Italiæ Academiis fuit adſcriptus, omnibus magis magiſque comperta fiant; Hunc, ut mos eſt, Muſis tuis etiam, atque etiam celebrandum committo: quod mihi quidem gratiſſimum fore pro certo habeas. Quæ cum a te Illuſtriſſime SENATOR audiviſſem, & ego Viri hujus Clariſſimi, qui magno ſemper in loco apud me fuit, luculentiſſimum teſtimonium approbavi, quo id genus hominum exprobrari mihi jure videtur, qui Juriſperitos aliis quoque ingenuis artibus operam navantes acerrime inſectantur, non alia plane de cauſa, niſi quod illis pares eſſe non poſſint. Veruntamen ut me in præſens ab officio Laudatoris eximeres, te

enixe

enixe rogavi; nam cum ARISIUS amicitia non minus, quam altero validiore titulo mihi conjunctissimus sit, hominum amicissimorum nimium diligens commendatio parvi plerumque putatur: cum veritati etsi aliquid, plus amicitiæ tamen ab iis tribui oculati Censores haud temere suspicentur. Quam excusationem meam cum humanissime accepisses, subinde in mentem tibi venit emeritissimum Virum, ea suspicione remota, a me posse Aliorum encomiis illustrari; nimirum si omnes Auctores, qui de illo honorifice loquuntur, in unum collegissem, quos tu deinde operi de Prætoribus propediem excudendo inserendos curasses; utque facilius hanc rem aggrederer, ex iis nonnullos, inter quos Germaniæ Scriptor neotericus, mihi pro tua benignitate indicasti. Porro consilium hoc tuum facere non potui, quin libentissime amplecterer, optime noscens nihil gloriosius ARISIO posse contingere, quam laudari summa tot Excellentium Virorum consensione. Siquidem maximi ponderis semper fuit Cætus Literatorum Auctoritas: Ex eo enim non studiosa laus, sed vera magni nominis celebritas, & secundissima fama proficiscuntur. Quo circa ad Patriam reversus, quæ tum promissa tibi dederam, memini, nullaque interposita mora libris pervolutandis operam dedi propositum assequturus. Sed de eventu facile desperassem sine Amicorum, ipsiusque ARISII auxilio, a quo plura ad intentum extorsi, aliud tamen me secum acturum ex industria simulans. Nunc verò Amplissime Pater, sicuti pollicitus fueram, mitto horum Scriptorum nomenclaturam, quos hinc, & inde ea, qua potui, diligentia comparavi. Vereor tamen, ne desint quamplures, qui si mihi innotuerint libro nec dum impresso, & hos tibi enunciabo in Indicem referendos. Omnia autem, de quibus in congressu tunc habito sermonem habuimus, hic volui data opera enarrare, ut videas, an ea fideliter exposuerim. In hanc enim cogitationem veni, ut loco Præfatiunculæ, quam Syllabus Auctorum exposceret, hæc Epistola succedat, si tibi videbitur. Non quo ego nomen meum alieno libro inscribendum concupiscam, sed ut honorem ex hac Scriptorum congerie assequendum totum tibi acceptum referat ARISIUS; utque etiam laudes, quibus me coram a te ornatus est, in publicum proferantur: Ex quo ipsi maxime non modicam gloriæ accessionem futuram confido. Vale Illustrissime SENATOR, meque tibi impense commendo.

Cremonæ XII. Kalendas Julii MDCCXXXI.

SCRIPTORES, QUI CL. V. FRANCISCUM ARISIUM Jurisconsultum, Poetam, atque Historicum celeberrimum laudabiliter commemorant.

Alexander Pegolottus Eques Vastallensis in suis Carminibus Italicis. Venetiis 1730. *pag.* 231.

Angelus Joseph Verganus, in suis Carminibus Ital. Mediolani 1694. *p.* 27.

Anto-

Antonius Vallisnerius, primarius Phylos. & Med. Professor in Universitate Patavina, in suo Excursu de Insectis in Tom. V. Italice Gallería di Minerva, *ex typis Venetis.*

Apostolus Zenus, Poeta, & Hist. Augustissimi CAROLI VI. in Epist. Bernardo Trivisano N. V. circa Meditationes Phylosophicas. Venetiis 1702. *p.* 47.

Arcades Pastores Romani, in Carminum Italicorum collectaneis. Romæ 1717. *Tom. VII. p.* 220. *& seq.*

In Elogiis pro Arcadibus defunctis. Romæ 1720. *p.* 116. *Tom.* 2. *& in Tom.* 3. *p.* 206.

In Corona pro S. P. Benedicto XIII. Romæ 1725. *p.* 51.

In Catalogo Past. Arcadum Tom. 3. *Pros. p.* 59.

Athanasius a S. Carolo August. Nudipes, Provincialis, in suis Tract. de Anulis, qui Mss. servantur in Bibliotheca S. Damiani Mediolani.

Auctores Ephemeridum Literatorum Italiæ. Venetiis in Tomis XIV.

Augustinus de Bellofte Taurinensis, in Epist. typis edita 8. *Octobris* 1712. *D. Med. Sancassano, in Adnot. de Bals. Sympat. pag.* 71.

Augustinus Paradisi Serenis. Ducis Mutinæ a Cons. in suo tract. de Præcedentiis. Venet. 1731.

Axiopistus Philophilus, seu Abbas Petrus Cannetus, in Epist. Apologetica pro M. Hieronymo Vida, excusa 1712.

Balthasar Pisanus Adv. Neapolitanus, in suis Rythmis Italicis. Neapoli 1685. *p.* 367.

Bartholomæus Curtius, Medicus Physicus Mediolani, in sua Hist. Medicorum Mediol. ibi 1718. *p.* 13. 83. 204.

Basilius Bertuccius, Monachus Basiliensis, in suo Dithirambo, cui tit. Bacco in Monte di Brianza. *Mediol.* 171 1. *p.* 83.

Benedictus Bacchinus, Abbas Casinensis, in suis Ephemeridibus Literatorum Parmæ, & Mutinæ, excusis, annis 1687. *p.* 175. 1688. *p.* 132. 1696. *p.* 128. *& alibi.*

Bonifacius Collina S. T. L. Camald., sub nomine Josephi Mauri, in Tomo 1. *operum Torquati Tassi. Venetiis* 1722. *in præfatione p. V.*

Braydenses Academici Innominati, prope Augustam Taurinorum, in catalogo Adscriptorum eorum Academiæ, impresso.

Burcardus Gottorphius Struvius, in sua Introductione ad notitiam Rei Literariæ. Jenæ in Turingia 1710. *C.* 7. *de Scriptor. Vit. §.* 15. *Item in Supplemento recuso eodem §.*

Carolus Thomas Molossus J. V. D. in Epist. nuncupatoria, præmissa reimpressioni Statutorum Oppidi Casalis Majoris. Mediol. 1717.

Christophorus Ivanovich Buduensis, in libro, cui tit. Minerva al Tavolino. *Venetiis* 1688. *p.* 91. *& seq.*

Collectores operum neotericor. Reip. Lit. anni 1719. *Venetiis apud Albriz.* 1730. *p.* 214.

Desiderius Arisius Mon. Hieronymianus, in Epist. præmissa operi, cui tit. Bellum Grammaticale Andreæ Guarnę Salerni Cremonæ 1695. *Idem in Academia Pictorum, & Architectorum Cremonensium pluries.*

Dionysius Andreas Sancassanus, Medicinæ, ac Phylos. Doctor, præcipue in suo Poliandro. Venetiis 1701. *dissert.* 6.

Federicus Bertuccius, in præfatione libri, memorati Basilii ejus Fratris, cui tit. Viaggio al Sommo Bene. *Mediol.* 1706.

Federicus Meninnus, Med. & Phyl. Doctor Gravinensis, in suis Carminibus Italicis, cui tit. Maraviglie Poetiche. *Venetiis* 1705. *p.* 187.

Florianus Amigonus, modo Abbas Generalis Congr. Camaldul. in Rythmis Auctoris pro Sac. Divi Francisci Stygmatibus. Cremonæ 1713. *p.* 220.

Franciscus Lemene Comes Laudensis, in suis Carminibus Italicis part. 1. *Laudæ Pompejæ* 1699. *p.* 129.

Fran-

Franciscus Maria Mancurtus Imolensis, in Vita Jo: Marii Crescimbeni. Romæ 1729. p. 48.

Fulginates Academici Rinvigoriti *nuncupati, in catalogo Adscriptorum annexo Tomo I. Quadriregii. Fulginei 1725. p. 369.*

Guido Grandus Abbas Camald. Pub. Matheseos Lector in Gymnasio Pisano, in Epist. de Pandectus, cum notis. Florentiæ 1728. p. 95. & 230.

Henricus Menchenius, in suo magno Dictionario historico, Hagæ Comitum Hollandiæ, in catalogo Auctorum.

Hermenegildus Todeschinus S. T. M. Ord. Præd. Inquis. Generalis Cremonæ, in suo Tract. Historico critico pro S. Alberto e Villa Onia, pluries.

Hieronymus Albritius, excellens Typographus Venetus in Tom. 4. cui tit. Galleria di Minerva. *Venetiis 1704. part. 2. p. 5. & alibi.*

Hieronymus Baruffaldus J. V. D. Publicus humaniorum literarum Professor in Universitate Ferrariensi Archipræsbyter Oppidi Centensis. In Commentario Hist. pro Brasavola. Ferrariæ 1704. p. 18. Idem in suo Baccanali pro Tabacco, tam in carminibus, quam in notis p. 199.

Hyacinthus Gimma Rosanensis, Advocatus Neapoli, in primo, & secundo Tomo Elog. Illustr. Virorum Typis Neapolitanis. Idem in libro cui tit. Italice Idea della Storia dell'Italia Letterata. *Neapoli 1723. Tom. 1. cap. 27. p. 259. & cap. 29. p. 278.*

Hyacinthus Vinciolus Abbas, Auditor Rotæ Maceratensis, & Genuensis in decis. Rotæ Macerat. ubi de Auditoribus. Maceratæ 1713. p. 17.

Idem in Lectione pro Coppetta, sub nomine Cintii Gattaphilotæ. Gattopoli sine anno p. 111.

Idem sub nomine Leontii Princei Past. Arcad. in Tom. 3. de Arcad. defunctis. Romæ 1721.

Hyacinthus Maria Grossus, Præpositus Cler. Reg. Theat. in Sermone pro Augustissima Conjuge S. C. C. M. Cremonæ 1716. p. 15.

Hippolitus ex Comitibus S. Secundi, in Egloga excusa Cremonæ 1717. in funere Nicolai Sylvæ Nob. Cremon. p. 61.

Jacobus Pellegrinus Nuvolettus, Medicinæ Professor, in Epist. directa Jo: Mariæ Lancisio Archiatro Pontificio. Maceratæ 1715. p. 7.

Ignatius Tadisius Cler. Reg. Somasch. Rhetoricæ Præceptor, & S. Officii Cremonæ Consul. in Epist. qua Arisio dicat sua carmina adhuc Mss.

Joannes Cinellus Calvulus, Med. & Phylos. Florentinus, in sua Bibliotheca Volante. In Pluteo 12. Romæ 1697. p. 45. in Plut. 14. Venetiis 1700. p. 266. 271. 274. in Plut. 15. Paduæ p. 16. & pluries. In Plut. 17. Mutinæ p. 26. in Plut. 20. Paduæ p. 48.

Joannes de Sitonis de Scotia J. C. & Chronista Collegii Jurisperitorum, & Judicum Mediolani, in Hist. illius Collegii. Mediol. 1706. pluries. Idem in Hist. Familiæ Vicecomitum, ubi de Nob. Fam. Herba.

Joannes Albertus Fabricius Hamburgensis Saxoniæ, in Theatro Literario Italiæ. Hamburgi p. 276.

Joannes Antonius, & Cajetanus Fratres de Vulpiis, in reimpressione carminum, aliorumque operum M. Hier. Vidæ Cremonensis, Albæ Epis. Patavii per Cominum 1731. in præfatione, & pluries in Adnotationibus.

Joannes Baptista Cannetus, humaniorum literarum Magister, Arisio dicat suorum Epigramatum libros quinque, Mss.

Joannes Franciscus Rondus Med. & Phylos. Profes. Bugellensis, in Hist. suæ Patriæ, Mss. p. 8.

Joannes Franciscus ex Marchionibus de Rota V. S. Referendarius, Abbreviator de Parco majori, in Epicedio, Romæ excuso in funere Eminetiss. Petri Vidoni Cremon. Patritii.

Joannes Franciscus Todeschinus Ord. Præd. S. T. M. in Narrat. historica Putei benedicti

cti a SS. Dominico, & Francisco in Suburbiis Cremonæ. ibi 1729. p. 7.

Joannes Marius Crescimbenius, Custos generalis Pastorum Arcadum Romæ, in suo libro inscripto della Volgar Poesia. *Romæ 1700. p. 240.*

Idem in Commentariis vol. 2. part. 2. Romæ 1719. p. 130. 131. & 248.

Idem in vol. 4. Romæ 1711. pluries.

Idem in vol. 5. Romæ 1714. p. 330. 443.

Jo: Paulus de Nigris J. C. Caus. Coll. & Adv. inter Arcades Laniscus Vraniensis, in Oratione pro Illustr. & Reverendiss. Litta Episc. Cremonæ. ibi 1722. p. 7. & alibi.

Jo: Pellegrinus de Dandis J. V. D. in libro, cui tit. Gran Giornale de' Letterati. *Forlivii 1702. p. 94. & in aliis.*

Joseph Lanzonus Med. Phylos. Poeta, & Orator in Vniversitate Ferrariensi Lector Pub. in Adversariis. Ferrariæ 1714. p. 104.

Joseph Malatesta Garuffius. In Ital. Academica. Arimini 1688. p. 259. & 264.

Joseph Aurelius de Nigris J. V. D. & Canon. Prior in Cathedrali Cremonæ, in sua Hist. Episcop. Cremonæ MSS. pluries.

Joseph Vallianus, in Hist. Archiep. Mediolanensium. Mediol. 1715. p. 458.

Joseph Antonius Saxius Bibliothecæ Ambros. Mediol. Præfectus, in Appendice suæ Apologiæ pro SS. Gervasio, & Protasio Mediol. edita 1719. p. 83. & alibi.

Joseph Hier. Sementius Cler. Reg. Somas. pub. Theol. Lector in Gymnasio Ticinensi, & Chronographus Regius, in suis operibus MSS. in Bibliotheca Monfortiana, & impressis pluries, atque pluries.

Julius Cæsar Porrus J. C. Caus. Coll. & Advoc. in Epist. edita Cremonæ 1692. Petro Canneto Ab. Camald. directa, & alibi.

Julius Lucretius Ferrarius Ord. Præd. S. T. L. in lib. ubi agit de SS. Protectoribus Cremonæ, ibi impresso 1720. pluries.

Justinianus Palliarinus, in observat. Hist. super Quadriregio. Fulginei 1725. p. 218. Tom. II.

Justus Vicecomes, sive P. Jo: Paulus Mazzucchellus Somasch. in Dissertatione pro Bernardino Corio. Bergomi 1712. p. 13. 40. & 65. Idem in inscript. Coloniæ Ticiniæ.

Lamindus Pritanius in libro, cui tit. Riflessioni sopra il buon gusto intorno le scienze, e l'arti. *Venetiis 1708. in Indice Archontorum Reip. Lit. Italiæ.*

Lazarus Augustinus Cotta J. C. in suo Museo Novariensi. Mediol. 1701. pluries.

Idem in Chronographia S. Julii p. 18.

Lypsiensium Acta erudita mensis Martii 1706. p. 133. & in aliis.

Ludovicus Zermignasius Malumbra, in Carmin. Italicis. Bononiæ 1683. p. 28. & 30.

Ludovicus Antonius Muratorius, Præpositus S. Mariæ Pomposianæ, Bibliothecarius Serenissimi Ducis Mutinæ in suis Anecdotis Tom. 2. Mediol. 1698. p. 31.

Idem in Vita Caroli Mariæ Maggii. Mediol. 1710. p. 162. & 226.

Idem in Antiquit. Estensibus. Mutinæ 1717. p. 387. 389. 400.

Idem in Tom. V. Rerum Italicarum Script. Mediol. p. 371. in Tom. VII. p. 523. & 631. Idem in Tom. XVI. ter. & præcipue p. 1025. in Tomo pariter XX. p. 477. 611. & 867.

Matthæus de Regalibus Medicinæ Doctor Lucensis in Rythmis selectis. Lucæ 1719. Tom. 2. p. 401.

Michael Parainus, in libro, cui tit. Rimbombo del buon genio Austriaco. *Mediol. 1716. p. 20. & 97.*

Nicolaus ex Comitibus Montemellinis Perusiæ Augustæ, pro laudibus S. Justinæ. Perusiæ 1698. p. 6.

Nicolaus Scortia Cler. Reg. Theat. in voluminosis Indicibus Auctorum, & Librorum Bibliothecæ S. Abbundii Cremonæ, compilatis anno 1722. pluries.

Pa-

Paulus Antonius Agellius S. T. M. ex Convent. inter Pastores Arcades Sidelius, in Corona pro Illustriss., & Reverendiss. Litta. Cremonæ 1722. p. 44.

Petrus Cannetus Abbas generalis Camald. electus anno 1729. in suis Epigr. Bononiæ 1687. p. 84. & 95.

Idem in Adnotationibus Epist. B. Ambrosii Camaldul. adhuc Mss.

Petrus Lignanus Cler. Reg. Somas. in suis Epigr. ter Cremonæ recusis.

Petrus Andreas Budriolus, in Rythmis Poetarum Illustrium viventium. Faventiæ 1723. vol. 1. a p. 193. usq. ad 199.

Petrus Franciscus Treccus Marchio, & Burgi Malei Dominus, in suis Carminibus Italicis, Sfoghi del Genio. *Venetiis 1682. p. 22. & 56. Idem* Negli Ozj della State. *Cremonæ 1685. p. 20.*

Petrus Hercules Bellojus J. C. Bonon. in suis Epig. inter alia Academiæ Concordium Ravennæ. Bonon. 1688. p. 123.

Philippus Argelatus in Epist. excusa in Tomo, cui tit. Novelle della Rep. delle Lettere *anni 1730. p. 151. Venetiis 1731.*

Prosper Mandosius Romanus, Eques S. Stephani, in suo libro de Archiatris Pontificiis. Romæ 1696. p. 209.

Romanus Merigus Abbas Camald. in Tom. II. suorum Carm. Ital. Forlivii 1708. p. 104.

Sebastianus Coletus, in Italia Sacra Ab. Ughelli reimpressa, cum Additionibus in Tom. novem distincta, in Epist. ad Lectorem, præmissa Tomo IV. & pluries in aliis.

Sirus Panigata Cler. Reg. Som. Ticinensis in Patriæ Universitate Pub. Lector, in Oratione funebri habita Laudæ pro Com. Francisco Lemene eximio Poeta, ibi impressa, ubi de Amicis ejusdem Comitis.

Stazius Trugus Catalaunus, seu Lazarus August. Cotta ei dedicat suum Poematium, cui tit. Herculis Arii iter per Insubriam. Mediolani 1701.

Theophilus de Martinis Mon. Camald. ex Academ. Concordibus Ravennæ, in Miscellanea Poet. Bononiæ 1687. p. 467.

Vastallenses Academici, nuncupati Italice Sconosciuti, *in Epist. Lectori præmissa Carminibus Equitis Alexandri Pegolotti. Venetiis 1730.*

Vincentius Coronellus Minister Gen. Min. Convent. Cosmographus Sereniss. Reipub. Venet. in sua Bibliotheca Sacroprophana, Venetiis cusa in Tom. 1. & in 4. in lit. A.

Vincentius Leonius Abbas Spoletinus ex duodecim Institutoribus Arcadum Romæ, Uranius Tegeus appellatus, in Vita Joannis Justini Cianpini, doctissimi Præsulis Romani in Tomo II. Arcadum illustrium. Romæ 1710. p. 23.

Prætores,

Prætores, ſeu Poteſtates Cremonæ.

1102 PEtrus de Graſſis, cujus mentio eſt in *Arch. Secr.*, ubi, *tranſumptum Teſtium in re Vaſtallæ, tempore D. Petri de Graſſis Poteſtatis Cremonæ*, cum exemplo privilegii Comitiſſæ Mathildæ ſuper re Vaſtallæ, anno 1102. die 4. Junii. Cum de Vaſtalla mentio fiat, hic omittere nequeo præcipuum meum Amicum adeſſe Equitem Alexandrum Pegolottum, illius Urbis decus, ac totius Reip. Literariæ ornamentum. Ab hoc anno uſque ad 1138. non recenſentur a noſtris Scriptoribus alii Poteſtates.

1138 Lanfrancus Struzius,
Azo Gazus,
Obertus de Medulago,
Oddo Sagittaclericus Judices, & Poteſtates regendæ Juſtitiæ, & faciendæ omnibus Eccleſiis, & omnibus hominibus majoribus, & minoribus Civitatis, & ſui Epiſcopatus. *Ita legitur in Cod. Turricini*, de quo in Epiſtolà ad Lectorem.

1159 Gilius de Dovaria,
Guazzo, Filius Albrigoni,
Gabuttus Balderionus, Poteſtates ex *Cod. prædicto*, ex *Arch. Secr.*
Ægidius de Dovaria.

1171 Blancaſola.
Obertinus Canis, Priores Curiæ Cremonæ, & Poteſtates de placito, *ex eodem Cod.* Hinc ſubdubito non Poteſtates, ſed potius Urbis Rectores eſſe appellandos; tunc enim Reſpublica Cremon. regebatur a Conſulibus Patritiis, non autem a Poteſtatibus. Anno huic antecedenti 1170. Cremonæ electus eſt Epiſcopus Sanctus Emanuel Monachus Ciſtercienſis, ibi cum piè, ſancteque eam Eccleſiam, paucos menſes rexiſſet, tàm vivus, quàm mortuus, clarus miraculis, vitam finivit die 17. Februarii. *Ughell. in Ital. Sacrà Tom.* 4., *ubi de Ep. Cremon.*

1175 Gherardus Carpanetus hoc anno, a *Cavitello* vocatur primus Cremonæ Prætor, & in Chronico Cremonenſi legitur *Ghirardus de Carpenta primus Cremonæ Poteſtas, qui naturali interitu moriens apud Eccleſiam Majorem in Lavello lapideo fuit ſepultus. in Feſto Sancti Donini, anno Domini* 1180. *Ita Jacobus Gadius, & Antonius Campus*. Hic Gherardus omittitur in *Cod. Turricini*; verum memoratur in Memoriali Poteſtatum Regienſium recenſitum in Tomo 8. rer. Ital. Scriptorum pag. 1075. ad annum 1169.

1178 Bernardus de Gazzo, & Consortes Potestates Cremonæ, *ex reg. Arch. Secr.*

1181 Manfredus de Fantis Mutinensis, *ex Cavitello* vocatus Gener antedicti Gherardi, a quo ædificatum fuit Castrum Manfredi, dirutum exinde a Friderico Primo Imperatore, omittitur in *Cod. Turricini*; verùm *Chronicon Cremon.*, *Gadius*, *Campus* in hoc ineptè non peregrinantur.

Guazzus de Albricone ex *Regest. Arch.* ad annum 1179., verùm a *Cavitel.* appellatur Consul sub anno 1185. a *Gad. Guazzo de Albrigonibus*, *& Ghirardus de Dovarià Cremonæ Prætores eliguntur per duos annos*; sed in *Chron.* ad annum 1182.

1182 Guazzo de Albrigone de Guazzonibus, & Gherardus Dovaria Potestates ad duos annos electi fuerunt, *ex Chronico*, ubi legitur, *hic Dominus Ghirardus a quodam suo Scutifero, cultello fuit occisus, & tenuit ipse Guazzo Potestariam primo anno*. Ita & *Campus* anno prædicto 1182. nominat Guazzonem, & Dovariam tanquam Consules, non verò Potestates. Ex *reg. Arch. Secr.* nominatur Guazus de Albricone ad annum 1179. a *Cavitello* appellatur Consul. *Gadius* anno 1185. habet: *Guazo de Albrigonibus, & Gherardus de Dovaria Cremonæ Prætores eliguntur per duos annos*.

1185 Albertus, seu Albericus de Sala, *ex Cavitel.*: *Ex Cod.* Aldericus de Salis Potestas Communis Cremonæ anno 1188., & *Campus* ait; ab hoc Prætore partem Urbis fuisse mæniis circumvallatam.

1188 Gherardus de Camisano Cremensis: *Ex Cavitel.*: *Ex Gadio* Gherardus Comes de Camisano Castrum Leonum ædificavit. *Campus* itidem, & ex *Arch. Secr. In Cod.* ita,

1189 D. Comes Gherardus Potestas Cremonæ; idem cum Gherardo superius memorato. Hoc anno Cives nostri navem pro succursu Terræ Sanctæ ædificant. *Sicard. in suo Chron. dicto anno*, subventione, *ut ipse ait*, ultra mare personis, & rebus missis transfretandam.

1190 Gaiferus Isimbardus Papiensis. Ex *Camp.* ex *Cod.* Gaiferius Isimbardus Potestas Cremonæ, in *Chronico* Gayferus anno 1190. Henricus Sextus Imperator Cremonensibus Cremam concessit, & privilegio confirmavit. *Sicardus Episc. in suo Chronico*.

1191 Ugutio Bossius Mantuanus ex *Cavitel.* & *Campo in Chron.* Uginus de Boxio; in *Cod.* Ugutio de Boso, ejus Consiliarius Lanfrancus Codecà.

1195 Mongibellus Novocomensis ex *Cavitel.* ex *Campo* Pocobellus de Vigolo Civis Comensis. Ex *Chronico*: Pocobellus de Vigulo Civis Cumanus, sed omnes fefellit antiquus, seù abrasus scripturæ character, nam ex *Arch. Secr.* vocandus est Pancobellus de Vigo, ubi habetur. *Promissio facta per Petraccium de Riboldis de Crema D. Pancobello de*

Vigo

Vigo Potestati Cremonæ, quod operam dabit, ut Commune Cremæ veniat ad præceptum, & voluntatem Communis Cremonæ, anno 1194. *die* 6. *exeunte Junio* eodem anno.

Albertanus Babo Poteſtas pro Juſtitia Crem. ex *Cod.* ab hoc anno uſque ad 1198. non habemus Prætores; verum memorabilis nobis fuit annus 1197. quo, die 13. Novembris ſequutus eſt feliciſſimus obitus Homoboni de Tucenghis Concivis noſtri, cujus Vitam, Canonizationem, & Protectionem legimus apud multos noſtræ Urbis, & exteres Scriptores.

1198 Cremoſanus Oldoynus ex *Cavitel.* ex *Campo* Cremoſinus, *ex Gadio* ad annum 1195. Cremoſinus de Oldoynis Conſul Civitatis Cremonæ, deinde Prætor electus; Ita & ex *Chronico*.

1200 Lanfrancus Ruglerius, &
Beltramus de Roncula Bergomenſis, ex *Cavitel.* ex *Campo* idem, mutatis quidem nomine de Beltramo in Beltrunum, & Cognomine in Rivolam, exindè eum vocat Beltramum Rivolam, pro ut legitur in *Chronico*.

1202 Jacobus Surdus, ex *Campo* Conſul, & Prætor; Erat Affinis B. Joannis Surdi Cremon. Ep. Mantuæ, demum Vincentiæ pro Fide Cathol. Martyris anno 1181.

Eodem Anno Vitalis Bergomenſis, ex *Cavitel.* ex *Cod.* verò hoc anno habentur.
Vuarizo de Michara.
Oddo de Comite.
Jacobus de Surdo.
Conradus de Summo.
Aymericus Dothonus Poteſtates Cremonæ: Verum potiùs Conſules, quàm Poteſtates eos fuiſſe reor, ut ex *Cavitel.*, & *Campo*, licèt nomina, & cognomina in multis non conveniant, pro ut tunc temporis inter ſe diſcordes erant ipſimet Cives, inteſtinis odiis conflictati.

1203 Otho de Noxa *Cavitel. Campus* Otho de Vitalibus Bergomenſis. Ex *Chron.* Otho de Noxa. Ex *Cod.* Otho de Vitalibus de Bergamo, ex *Arch. Secr.*, Otho de Noxa, ut ex Inſtrumento diei 6. Novembris 1203.

1204 Lanfrancus de Brodolano Poteſtas placiti pro juſtitia Cremonæ, ex *Cod.* Anno ſequenti 1205. floruit Lotharius Roſanus, ſive Roſarius Cremonenſis. Ex Epiſcopatu Vercellenſi ab Innocentio III. S. P. Piſanus Archiepiſcopus deligitur, poſtmodùm Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha anno 1215. Interſuitque eodem anno Princeps inter Patriarchas Lateranenſi Concilio. Memoratur nuperrimè ab Abbate D. Guidone Grando Camaldulenſi, Amico noſtro eruditiſſimo, in ſuâ de *Pandectis Epiſtolà in notis pag.* 255.

1206 Jacobus, ſeù Petrus Bononienſis. Ex *Cavitel.* ex *Campo* vocatur tantùm Jacobus, pro ut ex *Gadio*, ita ex *Chronico*, ubi- *Hic Palatium*

Communis ædificavit ante Majorem Ecclesiam 1206. - *Sequenti anno iterùm in Potestatem est electus, qui circa sex menses sui novi regiminis, naturali interitu vitæ suæ diem clausit extremum, & apud Ecclesiam Majorem in Lavello lapideo est reclusus* 1207., In *Arch.* appellatur Jacobus, at in *Cod.* Joannes. In Curia Palatii publici Civitatis legitur hæc inscriptio marmorea; *Tempore D. Jacobi de Bernardo Bononiensis Civis, Potestatis Cremonæ hoc opus factum est anno Domini* 1206. Fuit, & Potestas Regii anno 1200. qui habuit Filium Bernardinum nominatum, itidem Præt. Regii anno 1217. ex allegatis, ubi de Carpaneto.

1208 Assagitus Sannazarius Papiensis, ex *Campo:* ex *Chronico* de Sancto Nazario: ex *Cod.* Assaytus Sancti-Nazarii Potestas Cremonæ. Tempore hujus Prætoris percussum fuit fædus inter Azonem de Hest, Ferrarienses, & Cremonenses die 5. intrantis Junii in Civitate Mantuæ ut ex actu extracto a membranis nostri Archivi, recenso a celeberrimo Muratorio in Antiqu. Esten. p. 1. cap. 39. pag. 387. ubi ipse Prætor vocatur Asavitus: eodem anno in *Cod.* legitur.

Lanfrancus de Golferamo.

Arduinus de Pilla.

Obizo de Ronacore.

Ubertus de Yxe, Potestates pro Justitia Cremonæ.

Matthæus de Corrigio Parmensis, & Guilelmus Mastalia Cremonensis Potestates, Primus pro Civitate veteri, & Secundus pro nova, cum essent innumeræ inter Cives dissensiones, & cruenta prælia, tandem per Episcopum Sicardum Caselanum, ad quietem redacta, cum Malorum expiatione, de hisce fortunæ sævientis casibus *Chronic.*, *Campus*, *Gadius*, *Cavitel.*, & *Campus* ad annum in margine signatum. Otho IV. Imperator Cremonam tetigit mense Maii.

1211 Candulphinus de Castro Novo Veronensis. Ex *Cavitel.* ex *Campo*: Gandolphenus de Castello Novo in *Chronico*. Fridericus Siciliæ Rex mense Martio Cremonam venit, invitis Mediolanensibus: *ex Richardo de S. Germano*.

1213 Rolandus Rubeus ex *Cavitel.* Hoc anno commissum fuit illud celebre, ac toties memoratum Campestre prælium inter Cremonenses, & Mediolanenses, capto eorum Carrotio, & Cremonam ducto.

Raymundus Ugo ex *Cavitel.* Verùm ponendus ad annum 1217. ut infra.

1214 Guido Regiensis *Cavitel.* Guido de Regiis: Reginus Civis *Chronic.* in *Arch. Secr.* vocatus Galeaz de Regio, ubi, *litteræ D. Nicolai de Burgo Potestatis Papiæ ad D. Galeazium de Regio Potestatem Cremonæ, pro fidantia data inter dictas Civitates, respectu Guerræ cum Mediolanensibus, & aliis.*

1216 Comes Henricus de Suspirio, sive de Roversella: *Chronic.*, *Campus*, utor ejusdem verbis Italicis: Arrigo Conte di Rovescala Pavese: *Cavitel.*

vitel. Henricus de Suspirio, sive de Rovercllis: Verum ad annum sequentem 1217., ubi etiam lego Bernardum Cornazzanum Parmensem.

1217 Raymundus de Ugonibus Brixiensis Civis, ex *Chron.* & ex *Cod.*, qui non differt a regestis *Arch. Secreti*, ubi habetur: *mandatum procuræ D. Raimundi Ugoni Potestatis, ad litigandum cum Abbate Sancti Sixti, ad annum* 1219., pro ut eodem anno adest petitio per eumdem facta D. Matthæo de Corrigio, tunc Potestati Veronæ, ut cum suis Civibus, Cremonensibus adhæreret.

1218 Bernardus Cornazzanus de Parmà ex *Campo*, & ex *Chron.* hoc anno die 2. Octobris in *Arch. Secr.* reperitur *instrumentum expositionis D. Ugonis Episcopi Hostiensis Legati Apostolici ad Cremonenses*, in quo multum eos laudat circa religionem, & fidem, ipsosque hortatur, ut pacem ineant cum Mediolanensibus, & Placentinis.

1219 Theodosius Manigoldus Brixiensis: *Cavitel.* ex *Campo* Teutorio Manegoldi ex *Cod.* Tecorius de Manigoldis: Hoc anno die 29. Januarii. Honorius Tertius S. P. humanitate plenas, literas dedit Potestati, & Populo Cremonensi, quia obedientes, & optimi fideles fuerunt Ecclesiæ Romanæ: Hoc pariter anno missi fuerunt Oratores ad Fridericum Imperatorem quatuor Cremonenses Patritii, scilicet Isachus de Dovara, Amigonus Ponzonus, Albericus de Pescarolo, & Ægidius Bozius, a quo obtinuerunt confirmationem, pro eorum existentia in possessione Cremæ, & Terrarum Abduæ.

1220 Paganus, seu Ægidius de Alberto Parmensis: *Cavitel.*, *Campus*: Pagano de Alberto de Egidio: Paganus de Alberto Ægidii Parmæ: *Chronic.* in *Arch. Secr.* vocatur Paganus de Ægidio, dicto anno 1220. die 4. Augusti, in Re Vastallæ, & Luzariæ.

1221 Rodulphus de Noxà, *Cavitel. Rodolfo Noce Bergamasco*, ex *Campo* Redulphus de Noxià Pergamensis, cujus in *Arch. Secr.* reperitur sententia pro discordia Societatis Militum, & Societatis Populi Placentiæ die prima Martii 1221. Item, & Redulphus appellatur in sequenti Epistola exarata ex Tomo primo veterum Scriptorum, & monumentorum Historicorum, Dogmaticorum Moralium Collectionis, opera, & studio *Edemundi Martene, & Ursini Durand. Benedictinorum Congregationis Sancti Mauri adornatæ, ac Parisiis apud Montulant anno* 1724. *impressæ in fol. col.* 1160. nobis ab eruditissimo Abbate Don Petro Caneti, modo totius Ordinis Camaldulensis Generali meritissimo, communicata.

Epistola Re: de Noxa Potestatis Cremonensis ad Hugonem Episcopum Hostiensem Apostolicæ Sedis Legatum se optare Pacem cum Placentinis significat.

ex MSS Colbertino. *Venerabili Patri, & Domino Hugoni, Dei Gratia Hostiensi, & Velletrensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato. Re: de Noxa Cremonensis Potestas, cum Populo, & Militia, reverentiam, & devotionem in omnibus.*

Deus sit nobis Testis, cui omnia manifesta existunt, quia pacem, & concordiam in Lombardià diligimus, & de Guerrà Placentinorum dolemus, ut multis potest indiciis manifestè perpendi. Et si nobis aliquod indicium appareret, quo eos pacificare possemus, modis omnibus operam præstaremus. Et ut verè loquamur, contra populum habemus movere querelam, qui nobis nescientibus, & invitis Potestatem, & Judicem de nostrà Civitate accipere præsumpsit, occultè etiam per latrocinium inthronizantes eosdem: Quod cum nobis innotuisset, in banno quingentis libris Potestatem, & trecentis libris Judicem posuimus, & omnia bona sua in Civitate, & extra distraximus, & utrique Parti Placentinæ interdiximus, ne ad nostram Civitatem accedant, ne Coadjutores ibi acquirant, suæ discordiæ præstantes favorem, & populares, qui præsumpserunt de nostris Potestatem accipere, nostro supposuimus banno. Deindè nostris Civibus districtè præcepimus, ne in armis, vel personis alicui partium debeat præbere succursum. Et si vestra providentia, Pater Sancte, viam aliquam poterit invenire, per quam inter Placentinos, & alios Lombardos pacis semina seminare possimus, & discordias sepelire, nos aliquo solicitetis indicio: Quià tàm in hoc, quàm in aliis, vobis, & Romanæ Ecclesiæ invenietis nos modis omnibus præparatos: Et quæ vobis Lator præsentium Jacobus de Magistro, bonus Vir, sapiens, & discretus ex nostrà parte vobis dixerit, indubitanter credatis, & fidem verbis ipsius adhibeatis.

1222 Gherardus de Cornazano Parmensis: *Cavitel.* Mox.

Succio Coglionus Bergomensis: Ex *eodem*. Verum Cornazanus a nemine ex nostratibus Historicis nominatur, nisi ut dicam: *Campus, Sozzo, o Socino, e non Sutino, come lo chiama l'Omberto*. In *Chronic.* habetur Gozzo Cogionus Pergamensis. In *Arch. Secr.* apparet fuisse Potestatem anno 1221., ibi enim legitur *Procura D. Sozacojoni Potestatis Cremonæ, nomine Communis in Boldizonum, & Gherardum Manariam pro facto Guastallæ, & Luzariæ cum Abbate Sancti Sixti die 15. Madii anni* 1221. *In Instrumento* quippe a me viso, recepto *per Ambrosium de Pigna, diei* 13. *Novembris*, vocatur sic, Socius Cojonus. Heccine quomodò nomen hujus Potestatis diversimodè fuerit immutatum, & fere præumbratum. In antiquis Scripturis juxtà characterum formam, qualis eorum obtutibus se obtulit, Chronologistæ rescripserunt, prout circa temporum seriem, ut vidimus, & videbimus, multa irrepserunt æquivoca, & lapsus; unde arduum foret ea ab longa vetustate vindicare, & præcipuè, ut suprà diximus, ex intestinis seditionibus, & simultatibus inter Cives, qui Civiles sibi leges, & Judices proprio marte, dictantibus eorum potentia, & jure in armis, conficiebant, & creabant. Hic Socinus de Coleonis, ut refert *P. Celestinus in hist. Bergomi p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. a Federico II. anno 1224. habuit in Feudum legale, cum suis descendentibus jus cognoscendi appellationes omnium Causarum Civit. Bergomi, & sui Territorii.

1223

1223 Gherardus de Tertiis, seu Bernardus Cornazanus Parmensis. *Cavitel. Campus*. Gherardo Terzo de Cornazano Parmi: *Chronicon*. Girardus Trinns Parmensis.

1224 Rolandus Rubeus qu. Ugonis Parmensis. *Cavitel.*: Orlando de Ugoni Rossi: *Campus:* Rolandus de Ugone Rubeo: *Chronic.*

1225 Ossa de Canovà Papiensis. *Cavitel.* Ossa de Canovati, e Rolando Cane Pavese *Campus*. Issa de Canovà, & Ripaldus Canis Papiensis. *Chronic.*, *Cod.* verò Ribaldus Canis, & Ossa de Canovà Potestates Communis Cremonæ, uterque eodem tempore, & Semestri: Hinc arguendum est Officium Potestatis, tunc esse singulo Semestri duraturum tantum; unde etiam enormis oritur synchrisis circa Chronologiam horum Potestatum. Fridericus II. Imper. suis literis, Principibus Alemaniæ præcepit, & Lombardiæ Primitibus, ut die Paschatis Resur. se conferrent Cremonam, ubi ipse morabatur: *Richard. de S. Germano in Chron. sui temporis*.

1226 Gulielmus Lendenaria Veronensis. *Cavitel.*, *Camp.*, *&* *Cod.*, qui ejus Vicarios indicat Riprandinum Guidonis de Ronco, & Joannem della Portà Veronenses. In *Chronico* tamen habetur Guilielmus de Lodevarià Veronensis, ipsius tempore Imperator Federicus II. venit Cremonam; Item de Lendenarià fit mentio in *Arch. Secr.* in quodam Instrumento diei primæ Januarii 1226., in quo nominatur Castrum Novum Buccæ Abduæ. Hoc anno habemus ex eodem *Chron. Richardi de S. Germano* hæc verba - Imperator Cremonam vadit, ibique diebus paucis faciens moram, cum se Civitas Veronæ cum Mediolano, & aliis Civitatibus ipsi Imper. contrariis confæderavit.

1227 Bernardus Piccus Mirandulensis, seu Pius Mutinensis, ex *Cavitel.*, sed melius ex *Campo*; Bernardus Pius Mutinensis ex *Chron.* Bernardus de Pio.

1228 Ægidius de Donna Agnete Parmensis: *Cavitel.*, *&* *Campus* - *Chronic.* Ægidius de Domina Agnete.

1229 Ugo Lupus Marchio Parmensis: *Cavitel.* - *Camp.* Ugone Lupo Marchese di Soragna; & *Chronic.*

1230 Ugo Marchus Papiensis. *Cavitel.* ad hunc annum recenset *Campus* *&* more suo, Bernardo de Orlando Rosso, ita & in *Chronic.*, *Bernardus*

1231 *Rubeus Parmensis Cremonæ Potestas*; *Hic suo tempore inchoavit Civitatis Cremonæ murorum munimen, incipiendo a Porta Sancti Gulielmi versus Portam omnium Sanctorum, exeo faciens brachia* 323. Vide, quæ diximus de Alberico Sala anno 1186. Ad hanc rem spectans, hic subditur inscriptio reperta anno 1581. relata a *Campo*.

In nomine Domini Amen. Anno Domini 1231. *Tempore D. Bernardi Rubei Potestatis Cremonæ, hic murus spatio undecim dierum in mensibus Maii, & Junii fuit inceptus, atque finitus* 472. *brachiis longus, pretio novem cen-*

 tum

tum librarum Imperialium. Cavitel., de hoc agit anno 1231.

1232 Ferrarius Canis Papienſis, ſeù Joannes Bonus Aſſandrus: *Cavitel. Campus*. Ferrato Cane, verùm paulo poſt, Ferrarium eum nominat *Chronic.* eſt cum *Cavitel.*

1233 Gulielmus de Foliano Regienſis. *Cavitel. Campus.* Guglielmo de Fojano Parmigiano, ex *Chronico*, cujus eſt finis cum hoc Poteſtate ubi *Guilielmus de Foyano Reginen. Civis, cujus tempore ſeditio magna eſt orta in Civitate Cremonæ; Hinc Civium permultæ occiſiones, & ſtrages, nam ferè quem quiſque pugnando vivus locum cæperat, eum amiſsà animà, corpore tegebat.*

1234 Comes de Cerra. *Cavitel. a Campo* recenſetur, anno etiam præcedenti 1233., vocando eum Tomaſo Conte di Cerra, & hoc anno 1234.

Gulielmus de Landito Placentinus. *Cavitel.* idem, & *Campus*. in *Arch. Secr.* vocatur Gulielmus de Andito, ubi leguntur literæ Veronenſium eidem datæ hoc anno 1234.

1235 Henricus, ſeu Ricardus Guarnerius Dertonenſis. *Cavitel.* Arrigo Granone Tortoneſe, *Campus*.

1236 Simon del Re, ſive de Summo. *Cavitel. Campus*. Simone Conte di Pogetto, ex *Cavitel.*, itidem ponitur hoc anno,

Ugolinus Rubeus.

1237 Henricus de Rivello Bergomenſis. *Cavitel.*, & *Camp.*

Ugolinus, Filius Ugonis Rubei Parmenſis, ex ſeleƈtiſſima Italiæ Nobilitate.

1238 Leonardus Gremonius Patavinus. *Cavitel.* omittitur a *Campo*: Sed hoc anno ab eo exhibetur,

Federicus Rivellus, eſt idem, ut ſupra cum Henrico Rivello.

1239 Angelinus de Mariis *Cavitel.* ex *Campo*. *Anſaldo de Mari Genoveſe, ed Almirante di Federigo Imperatore*.

1240 Gulielmus de Iſibardo, ſeu Ravano Papienſis. *Campus*. Gulielmo Iſimbardo Paveſe, *Cod.* qui ſiluit uſque ad hunc annum; Gulielmus Iſimbardus, ex Imperiali gratia Poteſtas Cremonæ, cui additur,

Nicolinus de Peſcarolo Poteſtas Clauſorum; verbum hoc denotat circuitum duorum milliarium propè, & extra Civitatem, erant & Judices ſuper cuſtodibus Portarum Civitatis. *Vide Rubr.* 494. *& ſequentis Statutorum Cremonæ. Vide & Rubr.* 508. *ubi memoratur Officialis Clauſorum, ſeù damnorum*.

Ghirardus Rozius Poteſtas de Ardule. Commune Ardolarum recentur in antediƈta Rubr.

1241 Raynaldus, ſeu Raymundus de Aquanigra. *Cavitel.*, *Campus*, Rinaldo d'Acquaviva, Uomo di gran valore.

1242 Marcus, ſeu Melchior Lantius. *Cavitel.*, *Campus*, Marcheſe Lanza: Bone Deus! quot errores ob temporum obſcuritates patiemur!

1243 Comes Lantelmus de Caſſiano Laudenſis, ex *Cavitel.*, *Camp.*, Conte Lantelmo Caſſina Lodigiano.

1244

1244 Manfredus Cornazanus. *Cavitel.*, *Campus*. Manfredns Cornazanus Parmenſis in *Cod.*, ad hunc annum legitur Ægidius Cornazanus Conſul, Juſtitiæ, una cum Gerardo Zucchello, & Emanuele de Carfallis.

1245 Rubertus de Caſtro Leone. *Cavitel.*, & melius de Caſtillione, ut *Campus*, cum in inſcriptione marmoreà in Curia Palatii Publici habeatur ✠ C. *Anno Domini* 1245. *Indictione Tertia. Tempore D. Federici Roman Imperatoris II. D. Rubertus de Caſtillione Poteſtas hoc opus fieri fecit:* Hoc eodem anno, ut ex *Gadio*: Portæ Æneæ factæ fuerunt per Cremonenſes in Palatio Majori Civitatis ab utroque ingreſſu, ubi publica pertractantur negotia; extant adhuc; opus id perfectum fuit, ob honorem acceſſus SS. D. Papæ, & Sereniſſimi Imperatoris ad ipſam Civitatem. Hic Rubertus tanquam Cremonæ Poteſtas memoratur in monumentis nobiliſſimæ Familiæ Caſtillionææ, Mediolani, ut legimus.

1246 Rinaldus de Macaleone. *Cavitel.* Rinaldo de Machilone. *Campus*, qui ſubdit, hunc Poteſtatem electum fuiſſe a Friderico Imperatore, cum Cremona adhuc ſciſſa eſſet in ſceleſtiſſimis factionibus, prævalente illà Gibellinorum.

1247 Ferrarius Canis Imperiali gratia, & mandato Poteſtas Cremonæ; Ita ex *Cod.*, verùm a *Cavitel.* ponitur anno ſequenti.

1248 Canis Ferrarius Papienſis, cui per Imperatorem fuerunt conſtituti plures Conſultores Militares, & Togati, *Campus* verò eodem anno *Pace Petanigola Nob. Bergamaſco*, & ex *Cod.* Jacobus Mardenſis Judex Communis Cremonæ. Ille Ferrarius anno 1252. fuit Poteſtas Placentiæ.

1249 Paſius Panigalia, ſeu Foſſa. Ex *Cavitel.*, qui eſt idem cum nominato ſuperius Pace Petanigola, Ex *Campo*.

Zavatarius Strata Papienſis pro Gibellinis, &

Octolinus de Summis pro Guelphis; Erat Octolinus Germanus Frater Bernerii de Summis Epiſcopi Cremonæ; De eo *Blaſius Rubeus* in Dyptica Epiſcop. Cremonæ, loquens de Bernerio, & ego *in primo Tom. Cremonæ Literatæ pag.* 116. Alter Oſpinellus de Summo Cremon. fuit Pretor Parmæ annis 1236. & 1242. ut ex *Chron. Parm.*

1250 Ranzerius Mutinenſis, ſeu Lanterius de Strata Papienſis. *Cavitel.*, *Campus*. Ubertinus, ſeù Ubertus Pallavicinus.

1251 Idem Ubertus, qui cum potens eſſet, ex Prætore, Dominium Cremonæ indeptus eſt, uſque ad annum 1265. ex protectione Friderici Imperatoris. Ex *Cod.* habetur, anno 1251. Umbertus Marchio Pelavicinus Poteſtas Cremonæ; idem uſque ad annum 1265. a *Gadio* vocatur Cremonenſium Capitaneus.

1266 Zaneterius de Strata Prætor pro Pallavicino. *Cavitel.*, *Campus* ad annum 1265.

Caſtellanus Strata Papienſis, mortuus in munere, & ſepultus in Cathedrali, cui ſucceſſit

Roccus

Roccus Strata ejus Frater.

1267 Rainaldus Scottus loco Rocchi Stratæ, qui spontè se abdicavit a Præturà. *Cavitel.* ex *Cod.* Raynaldus de Scottis Poteſtas: Jacobus de Garivertis ejus Judex, & Aſſeſſor a *Campo Gualtero della Roza Provenzale;* hoc anno die 8. Aprilis legitur in *Arch. Secr. Inſtrumentum mandati Poteſtatis, & Conſiliariorum Communis Cremonæ, pro pace ineundà cum Civitatibus Longobardiæ,* ibi expreſſis.

1268 Gualterius della Rocca Gallus. Ex *Cavitel.* ex *Campo.* Rocchus della Turre Mediolanenſis pro uno Semeſtri.

Henricus Turrianus, & mox.

1269 Gulielmus de Rivolis Bergomenſis, ſeu Gualterius della Rocca. Ex *Cavitel.* ex *Campo*, idem Rivola pro uno Semeſtri, &

Ardengerius de Enzolis pro altero Semeſtri. Hoc anno Obertus Pallavicinus obſeſſus in Caſtro Siſaligo a Placentinis, & Parmenſibus miſerè occubuit *Camp.* Non verò hoc anno occiditur a Guelphis Boſſius Dovaria, ut ſubdit *Cavit.* cum anno 1282. adhuc viveret, maleſidus Othoni Vicecomiti.

1270 Ardigerius de Enzolis Parmenſis, ſeu Rainaldus Perſicus, ex *Cavitel.* ex *Campo*; Joannes Confalonerius Placentinus.

1271 Joannes Confalonerius Placentinus pro ſex menſibus, & per alios ſex menſes, Jacobus Rangonus Mutinenſis. Ex *Cavitel.* ex *Campo*, *Jacopino Rangoni Nobiliſſimo Cittadino Modoneſe. Cod.*, Matthæus de Corezzo Poteſtas, & Grecus de Zobolis, ejus Judex. Ex hiſce Semeſtribus, quibus conſtituebantur eo tempore Prætores, nil mirum, ſi confunditur ordo tam Prætorum, quam Chronographiæ, inter ſeſe diverſimodè, ſcribentibus Hiſtoricis.

1272 Matthæus Corrigienſis, ſeu

Jacobus Rangonus. *Cavitel. Campus*, idem, & Jacopinus antedictus ad annum ſequentem. Hoc anno die 18. Januarii ad Superos evolavit Beatus Facius Veronenſis origine, ſed diuturno incolatu Cremonenſis hac in Patria ob pia opera, ab eo geſta valde præclarus.

1273 Matthæus de Saſſolis Mutinenſis. *Cavitel.* ex *Cod.* Panxera de Arcis Poteſtas.

Henricus Confanonerius, & poſteà.

1274 Henricus de Vignola Mutinenſis. *Cavitel. Manfredo da Saſſola Modoneſe per ſei meſi*, ex *Campo*, & *Arrighetto Confanonero Breſſiano*, ex eodem *Campo*, qui alios Prætores omittit uſque ad annum 1308., ex *Cod.* Albericus de Andito Capitaneus Populi Cremonenſis.

1275 Pancerius de Arcu, & idem Confanonerius, ex *Cavitel.*, ex *Cod.*, Idem Confanonerius, cui aderat Franciſcus de Sexto ejus Judex, & Antonius de Petaciis Poteſtas Clauſorum.

1276 Ugolinus, Folianus & mox.

Zal-

Zaldus de Cancelleriis Pistoriensis. *Cavitel.* ex *Cod.* Consules Justitiæ. Oldradus de Sancto Paulo. Ægidius de Bagnarolo, & Simoninus de Cavagnatiis.

1277 Guidolinus de Longis Parmensis, &

Azo Manfredus Regiensis. *Cavitel.*, ex *Cod.* *Balduinus de Ugonibus* Capitaneus Populi Cremonæ.

1278 Gerardinus de Buxeto, seu Rolandus de Ardigheriis Parmensis, & mox Anselmus de Rivolis, Filius Pagani Bergomensis. *Cavitel.*, *Codex.* Rolandus de Ardigheriis, Bernardinus de Medicis ejus Index.

1279 Capitaneus Friscus de Baldis Florentinus, & mox.

Gravedonus de Lovisonis Regiensis. *Cavitel.* ex *Cod.* Jacobus Bezanus Consul Justitiæ. Verum Friscus, de quo supra, vocandus est Freschus de Freschobaldis, ut ex tabulis a me visis, receptis per Morandum de Ghisa Dictatorem Communis Cremonæ, die 18. Novembris 1279. hæ initæ fuerunt inter Venetos, & Cremonenses in negotio Salis. Cum mentionem fecerim de Frescobaldo Florentino, non possum omittere, quin memorem duos nobiles florentissimæ illius Urbis Cives, & scilicet Senatorem gravissimum Pandulphum de Pandulphinis, cujus favore die prima Septemb. 1712. ascribor doctis., & nobiliss. Cruscantium Academiæ, nec non eruditissimum Equitem S. Stephani Antonium Franciscum de Marmis Reip. Literatorum clarissimum. Hoc anno 1279. die 7. Maii, piè, & gloriosè moritur Cremonæ, Albertus de Villa Oniæa Bergomi, ex longo incolatu Cremon.; cujus Ossa veneramur in Sac. Divi Matthiæ Apost. Æde; id inter cætera habetur ex *Chron. Parmensi inter Rer. Italic. Scriptores Tomis pag.* 757. scripto ab Auctore synchrono; hinc, & ex aliis conjecturis refellitur opinio nostri Campi, & multorum, qui recensent ejus obitum anno 1195. ut & nos egimus in Tom. 1. nostræ Cremon. Liter. De Frescobaldo inter cætera memorabilia hujus inclytæ Familiæ, nuperrime habuimus a laudato Equite Marmi has duas inscriptiones.

Prima est in publico Palatio Prati Florentini, dum anno 1284. esset Capitaneus illius Populi.

Anno D. MCCLXXXIIII.

Tempore Capitanei Nobilis D. Freschi de Frescobaldis de Florentia Capitanei Populi, & Terræ Prati, acquisitum fuit hoc Palatium Pop. supradicto, & etiam reparatum.

Secunda existit adhuc super janua Ecclesiæ, ab eo constructæ, non procul a Florentia, ubi in marmore characteribus Gothis legitur.

✠ *Anno Dom. 1287. tempore Honorii Papæ IV. & D. Andreæ Ep. Florentini in die Annunciat. S. Mariæ fundata est hæc Ecclesia, ad honorem S. Mamæ Martiris a Nob. Milite D. Fresco de Frescobaldis, fabricata, & dotata.*

1280 Idem Loisonus, &
Ugolinus de Savignano Mutinensis, ex *Cod.* Bernardinus della Porta Capitaneus Populi Crem. Annus funestissimus, in quo terræmotus, eclipsis terribilis in Sole, & Luna, quæ per horas nigricantis coloris apparuit, dracones per aera volitantes, pruinæ, pluviæ, ac inundationes fluminum nostræ Urbis, & agri excidium portendere minabantur.
1281 Gherardus de Arcellis Placentinus, ex *Cavitel.* effervescentibus jurgiis inter Cavalcaboves Guelphos, & Dovarias Gibellinos, tunc præ aliis potentiores in nostra Urbe. Idem Bezanus Consul Justitiæ. *Cod.* *Hujus Arcelli* mentionem habet *Petrus Maria Campus hist. Eccles. Placen-tom. 3. ad annum prænunciatum.*
1282 Federicus de Lavello, seu
Gherardus de Arcellis Plac. &
Gherardus Bajardus Regiensis, sed melius Bojardus, cum Regii Læpidi floruerit hæc familia in Matthæo Marias Bojardo, Scandiani Comite, eximio Poeta, qui inter alia carmina Rholandi Amores cecinit anno 1471. primus qui Gallica arma effinxerit, & quod ejus figmenta secundus instituit Areostus. Iste Gherardus, ut scribit *Cavitel.* fuit a Civibus per novennium confirmatus in Prætura, verum ut videbimus, non permansit in munere, nisi per quinquennium; quo tempore Ven. PP. Ord. S. Dominici e Cænobiolo S. Guillemi in Suburbiis, Cremonam ingrediuntur, ubi modo cum præclarissimo Templo amplissimæ Ædes, ac celebris Bibliotheca insurgunt. Transitus hic evenit, ut *Merula in Sanct. Cremo. pag.* 203. sub Cacciacomite Ep. non verò sub Pontio Ponzono, ut perperam *Blas. Rubeus in Dyptica Epis.*
1287 Henricus de Mezzovillano Potestas Cremonæ. Federicus de Summaripa Capit. ex *Cod.*
1288 Antonius de Rogerio Potestas Com. Crem. ab anno novo 1287. ab Incarn., usque ad Kalendas Julias exclusivè anni 1288. ita *Chron. Crem.*
Lottus de Aleis a Kal. Julii usque ad annum novum. Ab hoc anno alios Prætores non habemus in Chron., nec apud nostrates Chronographos, saltem, qui nomine Prætoriali nuncupentur, sed tantum Consules Justitiæ, nisi ad annum 1295. una cum ejus Assessoribus, ut ibi.
1289 Henricus de Bonvexino Consul Justitiæ Portæ S. Januarii, sed melius S. Laurentii, Gherardinus de Guefellis, Amedeus de Barisellis Judices, Asenus de Drizonis Laicus in Porta Natali, Jacominus de Veneriis Judex, Antoniolus de Galappis Consules ad placita Portæ Natalis.
1290 Jacobus Bezano, Anselerius Zucchellus Consules Coblarum ad placita Portæ Natalis, Egidius de Casalibutano, Gherardinus Zucchellus, Bonus de Amidano Laicus, Sapientes Consultores, Martinus de Tibaldis Consul Justitiæ Portæ S. Laurentii.
1291 Conradus de Circa, forsan Ciria, Consul Justitiæ.

1293

1293 Novellinus de Persico Consul Justitiæ, Julianus de Pistore Consul Justitiæ Crem. Portæ Pertusus ad cantonum. Præmissorum causa sciendum est, Urbem nostram anno 1035. in quattuor Portas divisam tempore Ubaldi II. Epis. causis expressis a *Peregr. Merula in Sanct. Crem.* Prima Porta ab Oriente vocab. S. Laurentii. Secunda a Meridie Natalis. Tertia ab Occidente Eriberta. Quarta a Septentrione Pertusia. Hinc ex defectu Prætorum, gliscentibus in Urbe ubique tumultibus, per Remp. Judices, ut vidimus, fuerunt hinc inde assignati. Hoc loco, quamvis esset ponendus anno 1291. fit mentio de Guiscardo de Guiscardis Episcopo Tripolitano, ex Ordine Minorum Conventualium (qui jam in sacris claustris Cremonæ degebant) Patritius noster, in obsidione illius Urbis, vinculis devinctus, & crudelissimo affectus martyrio. *Camp.*

1295 Thomas de Saxolo Mutinensis. *Cavitel. Codex*, Thomasinus de Saxolo Potestas. Gulielmus Gerla ejus Judex, & Assessor. Ex eodem *Cod.* eodem anno, ex *Arch. Secr.*

Jacobus Curinus de Domo Majori.

1297 Xaus de Quinzano Consul Justitiæ.

Brunettus de Brunaldeschis, & Capitaneus Populi, Bertatius de Guinzinellis. *Cavitel.* Item ex *reg. Arch. Secr.* ubi Todelmanus de Todelmanis Capitaneus Populi Cremonæ, *Codex* verò,

Lanfranchinus de Bombeccariis Potestas Cremonæ primi Semestris.

Amadeus de Cagalanis Judex. Hic fuit ex Familia memorati Sicardi celebratissimi Episcopi Cremonæ, qui ante sæculum a prædicto Amadeo effloruit, multaque scripsit opera; & præcipuè Chronicon a Nativitate Christi, usque ad annum 1213., primò editum Mediolani anno 1725. ex Typographia Soc. Palatinæ inter rerum Italicarum Scriptores Tomo VII., incipiens pag. 523. industri labore Ludovici Antonii Muratorii, Bibliothecæ Serenis. Ducis Mutinæ Præfecti, & a multis, multisve annis Amici nostri perspectissimi.

Brunettus de Brunaldeschis, &

Braccius de Guinicellis ex eodem *Codice*, ab hoc anno pergit *Cavitel.* ad annum 1308.

1298 Manfredinus de Usnardis Potestas Cremonæ, ex *reg. Arch. Secr.* ubi, & Mancinus de Manzatoribus Capitaneus Populi Cremonæ.

1299 Guizardus de Zazis. ex *Cod.* Pax inter Mediolanenses, & Cremonenses, eodem anno ex *Arch. Secr.* Jacomus de Laqua, ita vocatur.

1300 Idem Jacobus, ex *Cod.* & Pantaleon de Bucicharellis Capit. Pop. sed melius de Buzacharinis Patavinus

1301 Vannus de Azaris; ex *Cod.*

1302 Gulielmus Sicherius ex *Cod.* forsan Nepos illius Sicherii, ex proceribus Friderici Ænobarbi, fatalis Insubriæ, & præsertim Mediolanensium hostis.

hostis. Hoc anno Henricus Casalorcius Patritius Cremonensis a Bonifacio Octavo S. P. Regiensi Mitrà decoratur.

1303 Arnulphus de Fisiraga. Ex *Cod.*

1304 Carolus de Gorcis Potestas. Maphæus de Piemonte Judex rationis. Otto Mazonus Judex Maleficiorum, ex *Cod.*

1305 Franciscus Botticchiella, seu Butigellus Papiensis, ex *Bress.* de quo pariter legimus in Epist. responsiva nostræ Urbis, data Jo: Stephano Buttigellæ Episcopo nostro die 16. Aprilis anni 1468., ubi recensentur laudes hujus familiæ. *Adde Franciscum Butigellum Doctorem, & Militem egregium, qui apud nos olim Prætura gerens, de nostra Rep. ita benemeritus est, ut cum summa Civium benevolentia, & multo honore donatus abierit.*

1306 Otto de Canale. Ex *Cod.* Padus ex nimio frigore glacie concretus. *Cavit.*

1307 Laudus de Salamdelis Potestas. Federicus de Casamalà Consul Justitiæ. Ex *Cod.*

1308 Odofredus Piperarius Patritius Cremonen., dùm Preturã recusarunt. Bassianus de Fisiraga Laudensis ad eam electus. *Cavitel.* fuit, & Potestas Paduæ anno 1306. ut ex Codicibus Papifavio, & Corradino. Tignacca Pallavicinus. *Campus.*

Bertanus de Advocatis Potestas primi Semestris ex *Cod.*. Guilelmus de Vicedominis secundi Semestris; *ex eodem*. Quomodo hoc anno fuerint tot Prætores, cautius perquirere modò opus non est; Hoc anno eligitur Episcopus Cremonæ Ægidiolus Bonserius Patritius Cremonensis a Clemente V. S. P.

1309 Gratus de Advocatis de Lucà Potestas, Ugolinus de Riparolo Judex, ex *Cod.*

1310 Petrus della Vallata de Confaloneriis, ex *Cod.* ex *Arch. Secr.* Petrus de Laruta de Confanoneriis. Floruit Ubertus Foliata Cremonensis, primus legalis Perusinæ Sedis Lector, item Bononiæ, & Florentiæ; Autumant multi, ipsum fuisse Baldi præceptorem.

Benvenutus de Tadinis Potestas, & Raynerius de Argojosis Capitaneus Populi Cremonæ, ex *Cod.*

1311 Ricardus de Tizonibus Imperiali potestate Vicarius Communis Cremonę. Gulielmus de Cavalcabobus Cremonam Patriam occupavit. *Gadius.*

1312 Joannes Castillionæus. *Cavitel.* Item *Campus*, a quo nominatur.

Quiricus Sanvitalis, Gener Giberti de Corrigio: a *Cavitel.* Joannes de Quiritio de Sancto Vitali. Die 30. Aprilis 1312. quievit in Domino Henricus de Casalorciis Patritius Cremonensis, Episcopus Regiensis, Doctrina, & Sanctimonia perspicuus, de quo supra.

1313 Gerardinus de Empoli de Robertis. Ex *Cod.*

Joannes Quilicus San Vitalis Nobilis Civis Parmæ; *Arch. Secr.* ex tabulis Zanini de Stagnatis diei 7. Aprilis, & Franceschini Grossi diei 26. ejusdem mensis, a me visis.

Ber-

Bertolinus della Turre Mediolanensis, electus a Giberto de Corrigio, qui hoc tempore in nostrà Urbe potens erat; *Bress.* Patres Carmelitæ ad Ædes, & Cænobium S. Bartholomæi in nostram Urbem se conferunt.

1314 Idem Bertolinus, ex *Cod.*, ubi vocatur Vicarius Cremonæ pro Regia Majestate Regis Roberti Hierusalem, & Siciliæ, Domini Cremonæ, ex tabulis Zanini de Vassallis in *Arch. Secr.* die ultima Decembris legitur *Magnificus Potens D. Gibertus de Corrigio Civis Parmæ, pro Sacra Regià Majestate Capitaneus Generalis, & Mercatorum Potestas*. Hinc eruitur tunc Cremonæ duos fuisse Prætores, unum scilicet pro Nobilibus, & alterum pro Mercatoribus. Hoc pariter anno, tum a *Cavitel.*, tum a *Campo* hæc Nomina confunduntur, & vice Bertolini della Turre, nominatur Passarinus, & Bartholomæus della Turri. Nil mirum! cum eo tempore Cremonæ inter Cives omnia consternatione agitata pessum irent: Anno enim subsequenti 1315. nullus Prætor habetur, cum Patria fuisset a Theutonicis obsessa, firmatis Castris ad Plebem Sancti Jacobi; Suburbiis, & multis Locis Territorii, hinc indè combustis.

Gibertus de Foro. *Cavitel.*, verùm ex *Campo*.

1316 Ægidiolus Piperarius, cui titulum dedere Cremonenses, Abbatis de Populo, non Abbatis Papiensis, ut *Cavitel.*, qui cum se opposuisset irruptioni factæ in Plateà Magnà inter Gibellinos, & Guelphos huc, & illuc effrenatos, & furibundos, ab istis interficitur.

1317 Albertinus de Canosa, ex *Cod.* hoc anno in *Arch. Secr.* legitur Gherardus de Bozolinis olim Potestas Cremonæ, faciens fines de suo Salario, ex rogitu Guilielmi de Nasellis diei 12. Aprilis.

1318 Mullus de Cropello, ex *Cod.*, hoc anno, a *Cavitel.*, Matthæus Cognominatus Muzo de Cropellis, uti Militum Dux, non Potestas. Ad annum 1318. Ægidius Mandalbertus, insignis J. C., & Canonicus Majoris Ecclesiæ Cremonensis, Bononiam conductus ad lecturam Decretalium, hoc anno a Joanne XII. Episcopus Patriæ renunciatur. Non bene tamen *Cavitellus*, ubi asserit Ægidium fuisse Cardinalem, *ut exponimus in primo Tomo Crem. Lit. pag.* 153.

1319 Aloysius della Ecclesia a Guelphis, Jacobo de Cavalcabobus Duce, Prætor eligitur, *Cavitel.*, Ricardus Malumbra Patritius Cremonensis Jurisconsultus, fama super æthera notus, ut de eo scribit *M. Mantua de Vir. Illustribus in Jure*. Patavii publicè Jus Civile interpretatum fuisse anno 1319. Bartolus testatur, a quo etiam habetur floruisse inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Sepultus est Venetiis ad Sanctum Joannem, & Paulum, cum Epitaphio, *quod legitur in nostra Crem. Lit. Tom. prim. pag.* 155.

1320 Andreas Frescobaldus Florentinus, ab eisdem Guelphis constitutus Prætor. *Bress. ex regestis Archivi* Nob. Francisci de Frescobaldis hæc nobis indicat memoratus Eques de Marmis. Andreas filius Jacobi, &

Nepos

Nepos Teliæ de Frescobaldis fuit cælebs, & anno 1345. 26. Octobris interfuit Ferrariæ, tanquam Testis, una cum Gibbrino Canossa Equ. Regiensi, Jacobo Rangono Mutinensi, & Orlandino Canossa, dum solutum fuit pretium per Florentinos, in emptione Lucæ.

Philippus Cavallus Veron. Expulsis Cavalcabobus, Galeacius Vicecomes Cremonæ excipitur.

1322 Annibal Cribellus Mediol. electus a Galeacio, qui die 27. Januarii Cremonam accessit. *Gad.*

1323 Boracius Capitaneus in Civit. Cremonæ pro Magnif. D. Galeacio, Domino Generali Civitatis, ita legitur in Codice.

1324 Canturius Crassus Mediolanensis. Totius Insubriæ Guelphi, Raymundo Cardona Duce, contra Galeacium a cladibus non aquieverunt, usquequo eum repulsum, & obstrictum in Urbe Mediolani non viderint.

1325 Raphaynus de Mezaprilis Consul Justitiæ, ex *Cod.* ex hac familia floruerunt inter Cremon. J.C.C. Catalanus, Andreolus, & Bartholomæus.

1326 Simonottus de Scafestis Potestas, ut in *Arch. Secr.*, ex rogitu Ruffini de Drizona diei 10. Septembris, vocatur etiam Miles, & ibi nominatur Joannes de Fillo Vicarius D. Azonis de Vicecomitibus.

1327 Petrus del Bue Ferrariensis, de quo agit in suæ Patriæ monumentis Literatissimus Amicus noster Hieronymus Baruffaldus, modo ad Oppidi Centensis Archipresbyteratum promotus. Ludovicus IV. Imperator Cremonæ adfuit. Galeacium Mediolani Ducem, Joannem, Luchinum, & Azonem de Vicecomitibus Modoetiæ in carceribus mancipavit, mox liberos dimisit. *Gad.*, seu, ut ex *Cavitel.*, Luchinus, & Azo, deceptis Custodibus, aufugerunt, Galeacio, paulò post defuncto.

1328 Boracius Comes de Gangalando Vicarius pro D. Imperatore Ludovico.

Bettinus de Testis, & Petrus de Hofredis Consules Justitiæ, ex *Cod.*

1329 Marcus Antonius Avogadrus Vercellensis. Idem Ludovicus Imperator ter Cremonæ, scilicet mense Junii, Augusti, & Octobris, Civibus confirmat privilegium cudendæ monetæ, quod Fridericus I. iisdem concesserat anno 1150. Insuper aquas, & jura fluminis Olii Cremonensibus donavit, & alia, ex privilegio, pluries a me inspecto cum bulla aurea in *Arch. Secr.*

1330 Guido de Camillà Vicarius Imperialis pro Bavaro; *Campus*. Idem ex *Cod.* cui additur: Franceschinus de Sygillariis de Papià, Albertanus de Albertanis, ejus Judices in omnibus Portis.

1331 Unginus de Azariis ex *Cavitel.*, qui alios Prætores non recenset, nisi ad annum 1347., Cremonenses se subjecerunt Joanni de Lucemburgo, Regi Boemiæ, & Poloniæ mense Augusti, in Italiam a S. P. Benedicto XII. vocato contra Bavarum, cui Urbes plurimæ se ab eo abdicaverant, quas inter Brixia, & Cremona.

Baldus de Ballustris, ex rogitu Davidini de Restallis, diei 6. Martii 1331.

1331. vocatur *Nobilis*, *& potens Vir Civitatis*, *& Districtus Cremonæ pro Joanne Boemiæ*, *& Poloniæ Rege Namburgensi Comite &c. Cremonæ Domino*.

1332 Corradus Tolomæus Senensis. *Bress.* Tolomæi Senenses Nobiles, nec non Pistorienses, ex quibus Jo: Baptista Cardinalis S. J. de quo plura in *Diario liter. Italiæ* 38. *pag.* 1. Die 20. Septembris Azo Vicecomes, fugatis ab Urbe Boemis, fuit & ipse, multa cæde, a Civibus ejectus. *Cavit.*

1333 Palmerinus Oddus Perusinus; *Bress.* Perusinus itidem, & ex antiqua Nobilitate est Abbas Hyacinthus Vinciolus, omniscius, quem impensè diligo, ne Ei sim ingratus, cum mei nomen suis claris operibus illustraverit, & pro tot favoribus Genuæ impertitis Georgio Cajetano Filio meo, in Hispaniam proficiscenti, Militiæ causa, dum esset in illa inclyta Urbe Rotæ ex Auditoribus. Eo anno 1333. ab eodem Rege Boemiæ Ponzinus Ponzonus Civis noster nobilissimus, Cremonæ Vicarius constituitur, ex *Cavit.*

1334 Bartholomæus Brusatus Brixiensis. *Bress.*

1335 Boracius Comes de Gangalando, de quo superiori loco pro D. Azone Vicecomite, ex *Cod.* Hoc anno 16. Julii post obsidionem acerrimam, & acerbissimas clades, Cremona eidem Azoni se dedit, qui eo tempore Cremonensibus Cremam obtulit.

1336 Guiscardus de Grimelo de Lancis Potestas pro eodem, ex *Cod.* toties allegato, cujus hoc anno est finis. Patribus Augustinianis conceditur per Ugolinum Ardengherium Parmensem, Episcopum Cremonæ Ecclesia Sancti Jacobi in Brayda, nunc Sancti Augustini nuncupata, quam prope magnificum eorum Cænobium construunt, & ampliant; tunc antedicti PP. degebant in Suburbano.

1337 Joannes Besutius, seu de Besozero pro eodem Azone, ex *Campo*. Hoc anno floruit Simon Augustinianus Cremonensis summus Theologus, & Sanctitate perspicuus, cujus opera servantur in Biblioteca Insigni Sancti Augustini, *ut de eo latius egimus in Cremona Lit. Tomo* 1. *Cavit.* Simonem celebrat anno 1348.

1338 Joannes Vicecomes Mediolanensis, *Bress.* Luchinus Socer Azonis die 15. Julii Cremonam sibi subjecit, expulso Ponzono, qui eam occupabat, invito Azone.

1339 Gasparinus Vicecomes, & ejus Vicarius Petracius Mansilius, ex *Campo*. Die 14. Augusti obiit Azo, ætatis suæ 38. nulla prole superstite ex Beatrice, Ludovici Sabaudiæ Comitis Filiis, cui successerunt Joannes, tunc Novariæ Episcopus, mox Mediolani Archiepiscopus, & Luchinus ejus Patrui; *Campus*, qui nullos alios recenset Prætores, nisi ad annum 1387.

1340 Franciscus Carcanus J. C. Mediol. Hic est notandum, ut ex *Campo*, sub anno 1337., Potestates, seu Prætores in nostra Urbe, ab Uberto Pallavicino citra, extitisse, ut plurimum Jurisperitos, nam antea

erant Milites, Belligeri, & potius armis, quam literis illustres.
1341 Idem Carcanus, *Bress.* Luchinus Vicecomes, ope Joannis Archiepiscopi, iterum Cremonam indeptus est, *Cavitel.*
1342 Guidaccius Invitiatus J. C. Alexandrinus, *Bress.* maxima Padi inundatio, *Campus.*
1343 Ottorinus Burrus J. C. Mediol. *Bress.* obiit Guilelmus Amidanus Cremonensis, Episcopus Novariæ, Theologus magni nominis, & Vitæ exemplaritate præclarus, ex Heremitanis Divi Augustini, Papiæ sepultus in Templo S. Petri in Celo Aureo.
1344 Guido Casatus J. C. Mediol. *Bress.* ex cujus nob. progenie floruit Sen. Med. Præses Gabriel, ex *Lando*, & Senator Danesius elapso sæculo.
1345 Idem Casatus.
1346 Paganinus Bezoserus J. C. Mediol. *Idem* hoc anno Parmensi Præturæ præficitur Civis noster Paganinus de Besatia. *Cavit.*
1347 Otto de Bonis, ex *Cavitel.* In *Arch. Secr.* legitur *Commissio facta per D. Otthonem de Bonis Potestatem Cremonæ in D. Franceschinum de Zatis ejus Vicarium, & Franceschinum de Borgonzate Notarium pro negotio Vastallæ, contra illos de Corrigia, die prima Septembris* 1347.
1348 Ottorinus de Burris J. C. Mediol. secunda vice. *Bress.*
1349 Joannes Mandellus J. C. Mediol. *Bress.* Luchinus annorum *62.*, & Dominii decem, ex veneno sibi per Uxorem propinato occubuit.
1350 Ambrosius Triultius J. C. Mediol. *Bress.* Ex cujus hist. habentur quatuor infra sequentes.
1351 Franciscus Cribellus J. C. Mediol. ex cujus illustri genere habemus Urbanum III. S. P., & Luchinum Cremonæ Gubernatorem, de quo *Landus lib.* 5. *pag.* 169.
1352 Petrus Vicecomes Mediol. de quo habetur hæc inscriptio Modoetiæ, e regione Prætorii. *In regimine Nob. & potentis Militis D. Petri Vicecomitis Potest. Burgi de Modoetia factum est hoc opus* 1340. *ex collect. a Cicereio.*
1353 Antonius Vicecomes J. C. Mediol.
1354 Franciscus Burrus J. C. Mediol.. Joannes Vicecomes Archiepiscopus, & Princeps Mediolani die 5. Augusti moritur; ejus ultimis tabulis hæredes instituit Matthæum, Bernabovem, & Galeacium, ex Fratre suo Stephano, Nepotes. Notum est Epitaphium ejus tumulo appositum in Cathedrali Mediolani. Diviso inter ipsos Dominio, Urbs nostra Bernabovi, sive Barnabæ assignatur.
1355 Matthæus Rusca Novocomensis, & Beltrandus de Caymis Mediol. Rector; ex *Cavitel.*

Matthæus Rusconus ex *Bress.*, in *Arch. Secr.* vocatur Masedus de Rusconibus, in nomine forsan irrepsit error Amanuensis. Carolus IV. Imperator bis Cremonam accessit, ejus Vicariis in Italia, memoratis Fratribus Vicecomitibus.

1356

1356 Paganinus Comes de Panica J. C. Bononiensis. *Breß.* Matthæus Vicecomes moritur, *Campus*.

1357 Alphonsus Aleardus J. C. Vicentinus. *Breß.*, qui recenset alios quindecim subsequentes Prætores, *Cavitel.* Hoc anno refert mortem Matthæi Vicecomitis die 22. Septembris, discors a *Campo*.

1358 Gadolus Vimercatus J. C. Cremensis.

1359 Blasius Capellus J. C. Mediolanensis.

1360 Ramengus Casatus J. C. Mediol. qui, dum quinquemestrem tantùm Præturam administraverit, ob ejus mortem eidem suffectus fuit.

Pompeus Vistarinus J. C. conspicua familia Laudensi ortus.

1361 Joannes Casatus J. C. Mediol. Dum gliscentis pestilentiæ squallor Cremonæ, & fermè in tota Italia deseviebat. Hoc quidem anno Galeacius II. Vicecomes Mediol. Dux publici Studii Papiæ Universitatem fundavit. Inter tot chronographos id asserentes, reperi in uno ex operibus MSS. Josephi Aurelii de Nigris nostræ Cathedralis Canonici Prioris, Avunculi mei, in conscribendis historiis peritissimi, cui tit. *Teatro Istorico de' Signori, e Duchi di Milano*, ubi Galeacium illius ævi insignium Literatorum Mecenatem appellat, præ cæteris enumerando Franc. Petrarcham, cujus consilio raram Bibliothecam instruxit; ubi & clarè sic scribit -- *e per promovere maggiormente l'acquisto delle Scienze, e decorare quell'insigne Città, vi fondò con privilegio di Carlo IV. una publica Università di Studio.* Verùm ipse ego legendo in libro Amici mei, utique eruditissimi, edito Mediol. anno 1704. fundatam hanc publicam Universitatem a Carolo Magno, ex cap. x. & fortè a Regibus Longobardis, quod non est credendum, utpotè qui nullo genere barbaricæ feritatis omisso ad literarum excidia, codices, & libros omnes quos habuere, publico incendio crematos, turpissimæ ignaviæ sacrificaverunt, ex *Lando de Sen. Mediol. lib.* 1. *pag.* 9. Hinc ut tuear Avunculi mei scripta, qui luculenter, ac peregregiè de Episcopis Cremonensibus prolixam historiam contexuit; fas est mihi dicere apud quamplures emunctæ naris Scriptores non constare, nec intra Italiæ limites, nec extra ullam publicam Academiam ante XII. sæculum institutam, minusve sæculo V. ætate Boethii, ne videar tantum ex me loqui in hac controversia (eoque magis cum nihil illi inclytæ Urbi depereat) consului doctissimum P. D. Gasparem Berettam Mon. Cass. in eadem Universit. S. T. L., a quo recepimus, quod quamvis ex quibusdam conjecturis dici possit scholas ibi, & Gymnasia Cænobialia, & similia præcipuè apud Monacos S. Benedicti, tunc in claustris extra Urbem S. Petri in Cælo Aureo degentibus extitisse, antiquiori etiam tempore; non est mirum; in aliis enim Insubriæ Civitatibus aperiebantur scholæ, pro ut erant Cremonæ, ante Christi ortum, ubi notissimum est, Pub. Virgilium Maronem togam viri-

 lem

lem susceepisse. Publicam veró Academiam Ticini, hoc tantum anno 1361. initium, non instaurationem habuisse, auspice ipsomet Duce, ex privilegio Caroli IV. die 13. Aprilis Nuraburgi emanato ad preces Communis, & Civitatis Papiensis ut cap. XVI. recensetur ab Amico hisce verbis f. 129. *quatenus ipsi ad instar aliarum Urbium de instaurando generali Studio in facultatibus &c.* Verbum enim illud *Instaurando*, super quo tota moles attollitur, est Supplicantium enunciativa, non autem Imperatoris, qui in progressu privilegii, ubi ipse decernit, legitur, *ut in prædicta Civitate Papiæ generale Studium erigatur*, quod importat fundationem, non renovationem -- legantur & ibi literæ Galeacii f. 138. ubi -- *in ipsa enim Civitate Papiæ acquisivimus privilegia solemnia Studii Generalis*; an importet instaurationem, verbum illud *acquisivimus?* modestiæ causa subticeo. Ad preces inde Jo: Galeacii, institutoris, Filii Imperiale privilegium fuit a Bonifacio VIII. S. P. confirmatione approbatum Kal. Decembris 1399. At de his sententiam ferre locus non est, cum historiolam de nostris Prætoribus prosequi debeamus. Consulat nimirum Lector Tomassin. Jovium, Cironium, Launojum, Corium, Georgium Merulam, & Scraderum, locis ab Amico citatis, licet explosis, cum ei non faveant, & demum *Pagium Crit. Baronii ad annum* 802. *n.* 11. *&* 12. *Cavitellum nostrum* 1361. & *Vidam Act.* 3. & alios.

1362 Annibal Averoldus Brixiensis, ex Majoribus Julii Antoni V. C. cujus eruditam necessitudinem, quoad vixit excolui.

1363 Jacobus de Iseo J. C.

1364 Franciscus Zagnus J. C. Pisanus. Annus locustarum e Pannonia avolantes in Italiam sex alas, & totidem pedes, duosque dentes habentes, duriores lapide, longe, lateque nostros etiam agros devastarunt. *Gad.*

Franciscus Ordelaffius J. C. Januensis, *Cavit.* eum crederem potius e Forlivio, in qua Urbe Ordelaffi dominium, seu tyrannidem sua potentia exercuerunt; de hac gente scribit eruditiss. D. meus Augustinus de Paradisis S. C. Ducis Mutinæ a Consiliis *in suo Athen. Nobil. cap.* 20. *p.* 1. *sub num.* 13. 14. *&* 18. *Tom.* 1.

1366 Idem Ordelaffus. *Cavit.*

1367 Cabrinetus Canossa Regiensis.

1368 Antonius Bottichiella J. C. Papiensis, forsan Avus Jo: Stephani Episcopi nostri anno 1464.

1369 Spinetus Spinola J. C. Januensis.

1370 Guido Vimercatus J. C. Mediol. Barnabas Vicecomes ad hostium invasiones comprimendas, quamvis sibi essent majores inimici sua scelera, Arces munitissimas extruit, & Cremonæ, tunc inexpugnabilis structuræ jubet castrum ædificari, ubi erat Sacra Ædes S. Cruci di-

cata; unde adhuc Castrum S. Crucis vocatur. Hic non possum me continere, quin in gratiam titulorum, hodierna die affectatorum, referam, quæ scribit *Pancirolus in tract. de tit. dignit.* vidisse epistolam, sic Barnabæ inscriptam. *Al Magnifico Messer Bernabò Duca di Milano* titulum, quem modo plebejus Artifex (italicè tamen, non latinè, ei datum) naso aspernatur adunco.

1371 Mapheus Maggius J. C. Brixiensis, hic fuit postremus, ex illis Civibus nostræ Urbis Prætor, & quare? vide Rubr. XI. nostrorum Statutorum.

1372 Petrus Vicecomes Mediol. Antonius Guiscardus Patr. Cremon. a Gregorio IX. Mitra Nicomediensi decoratur.

1373 Paulus Aurea, sive Doria Januensis. *Bress.*

1374 Martinus Boccacius J. C. In Epitaphiis collectis a Francisco Cicerejo Mediol. penes me mss. unum prostat pag. *6.* in quo legitur nomen Martini Boccacii, forsan Nepotis nostri Martini, est Mediolani ad Carmelitas in via Comensi. *Ob meritum virtutis, pietatisque paternæ Jacobus, & Agamemnon de Boccaciis pientiss. Filii D. Martino Patri Com. Brixiensi, Comiti Palatino insigni, & Posteris monumentum hoc ære proprio coemptum posuere, qui anno Dom. MCCCCLXV. die XI. Novembris vitam cum morte commutavit*, & ibi stemma.

1375 Idem Boccacius confirmatus.

1376 Antonius Torniellus J. C. Novariensis. Torniellorum gens clarissima adhuc est Novariæ.

1377 Hieronymus de Siccis, a *Cavit.* vocatur Rector, non Prætor. Innocentius Garzonius Lucensis. *Bress.* ex quo novem subsequentes Prætores habuimus.

1378 Florius Torellus J. C. Veron. Die quinta Augusti Galeacius II. annorum *59.* expiravit, non verò ut *Cavit.* anno 13*79.* annorum 47. legatur Jovius in ejus Vita.

1379 Albertus Coconatus J. C.

1380 Andreas Pepulus Bonon. ex clarissima, & antiquissima stirpe, memoratur ex Ducibus Barnabæ Vicecom. a *Cavit.* anno 13*62.* Ne sim ingratus amicitiæ Alexandri Advocati Macchiavelli ejusdem Patriæ, ac in ejusdem Archigymnasio Pub. Legum Interpretis, hic de eo memoriam ago.

1381 Marcus Serra Romanus. Azo Vicecomes moritur, *Camp.* Hinc Jo: Galeacius, & Barnabas ejus Patruus inter se partiuntur subjectarum Urbium Dominia. *Cavit.*

1382 Tadæus de Fluschis Januensis, ex cujus clarissima stirpe floruerat inter Sum. Pont. Synibaldus anno 1245., Innocentius IV. nominatus.

1383 Joannes Garzonius Lucensis.

1384 Conradus Summaripa Laudensis; ad hanc diem Summaripæ, Laudæ florent summa nobilitate.

1385 Paganus Aliprandus Mediol. Eodem anno juſſu Joannis Galeacii capitur Barnabas, ductus inde ad arcem Tritii, in qua illinc ad ſeptem menſes, ex veneno effluxit animam, habuitque inferias, quas ſua ſcelera poſtulabant. *Cavitel.* Eodem tempore Cremonenſes ſe ſpontè obtulerunt eidem Joanni Galeacio.

1386 Gulielmus Rivarola Bergomenſis.

1387 Cominus, ſeu Copinus de Suardis Eques Bergomenſis. *Cavit.* Item Arahon Aurea, vulgo Doria, *Campus.* Hoc anno compilata fuere Statuta Patriæ, bis typis edita, ſecunda vero vice anno 1578. quibus ad bonum Reipublicæ addiiciuntur permulta Decreta; in quorum initio legitur; *In nomine Omnipotentis Dei &c. exiſtente tunc Poteſtate Civitatis, ejuſque Diſtrictus Nob., & potente Milite, legumque Doctore D. Arahone Aurea Januenſi.*

1388 Cominus Suardus; hoc anno ex *Breſſ.* & *Camp.*, qui eum recenſet anno ſuperiori, quo anno per Joannem Galeacium approbantur municipalia Statuta die 3. Auguſti, & ibi vocatur Copinus.

1389 Aleolus Ruſconus Comenſis, *Breſſ.* Piè obiit Cremonæ Nicolaus Zanaſius Cremonenſis, in Literis inſignis, Archiepiſcopus Neapoli, qui antea fuerat Epiſcopus Brixiæ, & Beneventi, cujus meminimus in *Tom.* I. *Crem. Liter.*

1390 Utifredus Ubaldinus Comes Peruſinus.

1391 Idem Ubaldinus, *Breſſ.* floruit hoc anno literatiſſimus Theologus Guilelmus Centuaria Cremonenſis Ordinis Minorum Conventualium S. P. Franciſci, Epiſcopus olim Placentiæ, demum Papiæ, *de quo plura in Cremona Lit. Tom.* I.

1392 Dominicus Invitiatus Alexandrinus; *Breſſ.*

1393 Idem.

1394 Almericus Porrus Mediolan. *Breſſ.* ex cujus ſtirpe B. Jo: Angelus, ex Ord. Serv. B. M. V.

1395 Thomas Guaſcus Alexandrinus; *Idem.*
Thomas de Saſſo Mutinenſis: *Cavitel.* Nollem hic ſubdubitare de equivoco circa hoſce Prætores Guaſchum, & Saſſum, hoc anno Joannes Galeacius a Vvenceslao Imperatore titulum Ducis Mediolani obtinuit.

1396 Petrus della Rocca Veronenſis. *Breſſ.*

1397 Antonius Vicecomes, *Cavitel.*, & *Breſſ.*
Idem Antonius Vicecomes confirmatus, *Breſſ.* cum ſex ſequentibus.

1399 Stephanus Lendenaria Veronenſis.

1400 Petrus Craſſus Mediolanenſis.

1401 Nicolaus Garzonius.

1402 Belmondus de Canudatis Ariminenſis pro primo Semeſtri. In Caſtro Melegnani die ſecunda Auguſti obiit Joannes Galeacius, ætatis annorum 55. - Pro ſecundo Semeſtri verò

Joan-

Joannes Vignatus Laudensis, qui ob mortem Jo: Galeacii, die 23. Novembris occupavit Laudam, expulsis Fisiraghis.

1404 Doninus de Garimbertis Parmensis, sub Dominio Caroli de Cavalcabobus. *Cavit.*

1405 Franciscus de Agazonibus a *Cavitel.* a *Campo*; Gasonus: utriusque tamen lapsus, cum esset cognominatus Zaffonus, Prætor pro Ugolino Cavalcabove, & pro Carolo ejus Fratre Rector supremus; Percusso per ipsum Prætorem fœdere cum Rolando Pallavicino, ac Incolis loci Piscaroli Cremonensis, ut proderet Cavalcaboves, & urbem traderet Æstori, seu Æctori Vicecomiti, multis cum eo captis, ac extra Portam Mosiam furcis suspensis, ipse Franciscus, ibidem fuit capite obtruncatus.

1406 Doninus Garimbertus iterum, usq; ad mensem Maii, cui substituitur. Antonius Pius Florentinus, *Bress.* Die 24. Julii Cabrinus Fondulus, necatis in loco Macasturnæ Laudensis Agri, Andreasio J. C. Cavalcabove, & Carolo, aliisque eorum Agnatis, violato jure hospitii, & convivii, tyrannicè Cremonam occupavit.

1407 Petrus de Fusio, seu ut alii de Foxio Parmensis sub Cabrino Fondulo, *Cavit.* in Arch. legi diploma ejus electionis.

1408 Idem Fusius a *Bress.* vocatus Foxius.

1409 Annicius Turrianus, *Bress.* hoc anno Cabrinus a Gallorum Rege Equitis Titulo decoratur.

1410 Annicius a Turri, forsan idem cum relato ex *Cavit.*

1411 Annicius idem per tres menses, cui suffectus est

1412 Antonius Maria Lancius Bergomensis, *Bress.* Joannes Maria Vicecomes Dux Mediolani die 16. Maii per Conjuratos occiditur in Æde Aulica S. Gottardi.

1413 Idem Lancius. Hoc anno Sigismundus Romanorum Rex, indè Imperator, concessit Cremonensibus privilegium pro instauratione generalis Studii, in quibuscumque facultatibus Sacræ Theologiæ utriusque Juris, Medicinæ, Philosophiæ, ac Artium liberalium: Cum potestate Episcopo Cremonensi pro tempore ad Doctoratus apicem dignos promovendi. Dat. Utini die 8. Maii. Privilegium servatur in Arch. Secreto sub lit. A. n. 16. quod multas Cremonensium continet laudes ut diximus in nostra Crem. Lit. Tom. 1.

1414 Augustinus Fliscus Januensis. *Bress.* Joannes XXII., Eum comitantibus tredecim Cardinalibus S. R. E. Cremonam ingressus per Portam Padi. Sigismundus verò Imperator per Portam Divi Lucæ, die 13. Januarii, ubi aderat Philippus Maria Vicecomes Dux Mediolani, a Cabrino Fondulo summo cum honore recepti fuere; & ibi actum de habendo Oecumenico Concilio in Civitate Constantiæ. Idem Joannes S. P. Kalendis Septembris iterùm Cremonam venit, ad illud Con-

cilium iturus. Obtinuerat enim Summum Pontificatum in Schismate maximo, tunc vigente in Ecclesia Dei.

1415 Augustinus de Ozula Parmensis. *Cavitel.* Hoc anno floruit Franciscus Regatius Cremonensis, Ordinis Conventualis Franciscani, Theologus Insignis, Episcopus Bergomensis, qui interfuit Concilio Constantiæ, & qui obiit Bergomi anno 1437. & ibi ad Conventuales humatus.

1416 Antonius Baraterius J. C. Placentinus. *Bress.* Eodem anno a Summo Pontifice eligitur Bartholomæus Ravicengus Episcopus Castoriæ ex Ordine Conventuali S. P. Francisci, cujus extat memoria e regione Turris in Ecclesia S. Francisci - : 1423. *die* 30. *Decembris Hoc opus fecit fieri Reverendus Pater Bartholomæus de Ravicengo de Cremona Ordinis Minorum, Episcopus Castoriæ.*

1417 Idem Baraterius confirmatus a Fondulo, *Bress.* & *Cavitel.*

1418 Idem Baraterius *Bress.*

1419 Petrus de Fusio Parmensis, qui Prætor erat, ut vidimus, sub Cabrino Fondulo anno 1407.

1420 Saxus de Arisiis Mediol. non ut *Cavitel.*, qui eum appellat Sansonem, a Philippo Maria Vicecomite Prætor constitutus anno, quo fuit Cremonam potitus, ipsi deditam per Cabrinum Fondulum, noscentem se ei imparem, nec ei posse obsistere, postquam pluribus mensibus obsessa fuerat. Pænes me extat diploma suæ electionis, extractum e regestis Archivi. Ejusdem fit mentio in Statutis Laudæ, ubi anno 1419. extiterat Prætor; Ejus Vicarius fuit Thomas de Bernardis de Crema J. C. ab eo electus die 17. Maii 1420. Saxus erat patruelis Andreæ Arisii Ducalis Consiliarii, quem laudat Ubertus *Decembrius Novar. in suo Dialog. de Philos. Mor. servato in MSS. insignis Bibl. Ambros. Med.*, cui princeps præest C. V. eruditissimus Joseph Ant. Saxius, cui multum debeo, cum de me in suis operibus mentionem fecerit. Hoc anno die 26. Aprilis leguntur in *Arch. Secr.* ut ibi Capitula facta per Philippum M. Vicecomitem Mediol. Ducem. Exulibus expulsis omnibus adhærentibus factionibus DD. Ugolini de Cavalcabobus, & Cabrini de Fondulis.

1421 Guidottus Vicecomes Mediol. *Ex regestis Arch.*
Idem Guidottus ad nonnullos menses; postmodum

1422 Aloysius Besutius Mediol. Ex *Cavit.* & *reg. Arch.*

1423 Idem Besutius, ex *Bress.*

1424 Ambrosius Spinula Januensis. *Cavitel.* & *Bress.*

1425 Joanninus Adurnus Januensis. *Cavitel.* hoc anno die 12. Februarii; Cabrinus Fondulus captus in loco Annici, Agri Cremonensis Mediolanum traductus, in Broleto, ut ajunt, illius Urbis, decollatur; *Gadius*, *Campus*, *Cavitel.*

1426

1426 Petrus Raimundus Mediol. *Cavitel. Bresſ. ex reg. Arch.* dicitur Comenſis. Venetæ Legiones, contra Ducem Mediolani præliantur, & ſæpe ſæpius in Agro Cremonenſi, ubi miſerrimæ Villarum depopulationes, & Incolarum ſtrages; Navibus etiam plurimis in Flumine Padi, ex utraque parte munitis, fermè integro trimeſtri dimicatum fuit.

1427 Idem Raimundus, *Cavitel.* & *Bresſ.*

1428 Idem, ut ex *reg. Arch.* Sed paulò poſt

Cæſar Simonetta Mediol. *Bresſ.* Philippus Maria, Mariæ Amedei, Sabaudiæ Ducis Filiæ nupſit die 4. Octobris. *Camp.*

1429 Idem Simonetta. *Bresſ.*

1430 Antonius Maria Beccaria Papienſis; *Bresſ.* Tanti Prætoris memoriam apud nos modò inſtaurat Nob. Vir Proſper Beccaria, ejus Gentilis, Vicarius ſub fælici Prætura Ampliſs. P. Senatoris Don Herculis Menochii, juriſprudentia, & integritate eximie perſpicuus.

1431 Guilelmus Bentivolus Bononienſis; Ingens iterùm Bellum inter Venetos, & Mediolani Ducem, tam in Agro Cremonenſi, quam in Flumine Padi, in quo Veneti poſt multa hinc inde prælia, Ducibus Franciſco Sfortia, & Nicolao Picenino, Claſſis Veneta magnis cladibus attrita, tandem ſuccubuit, *Gadius*, *Campus*, *Cavitel.* ad unguem omnia deſcribens.

1432 Albertus Marlianus Mediol. *Cavitel.* in *reg. Arch.* vocatur Albertellus; iterùm Venetorum Legiones, adauctis viribus, in Vicos Cremonenſes excurrunt.

1433 Petrus Joannes Fliſcus Januenſis. *Bresſ.* Pruina frigidiſſima menſe Aprilis vites affecit gelu, ut ſequens Autumnus ſine uvis langueſcere viſus fuerit. Hoc anno in Comitiis Ravennatibus Thomas Perſichellus, ex Canonicorum Regularium Lateranenſium Ordine, Abbas Generalis eligitur; & Benedictus Capra Cremonenſis, Patriæ jam Epiſcopus, poſtmodum Mediolani Archiepiſcopus dies clauſit Septembrio menſe.

1434 Andreas del Mayno Mediolanenſis. *Bresſ.*

1435 Joannes Lampugnanus Mediolanenſis. *Cavitel.*

1436 Idem Lampugnanus, ut ex Literis in Archiv. Dictariæ diei 13. Junii 1436. *Ex regeſtis ſign. H.*

1437 Bartholomæus del Verme Veronenſis. *Bresſ.*

1438 Bartholomæus Roncarolus Placentinus, ut ex *Arch.* Non autem Mediolanenſis, ut eum vocat *Cavit.* Philippus Maria Vicecomes ſuis literis Ducalibus, præcepit quibuſcumque Municipiis, Oppidis, & Locis Diſtrictus Cremonæ, ut per eorum Regentes fieri debeant oblationes pecuniarum, & ceræ quotannis Eccleſiæ Cathedrali Cremonæ, die Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ; Literæ id mandantes ſervantur in Arch. Inconcuſsè hæc oblatio ſervatur, juxta vires ſingulis locis

præ-

præſcripta. Hoc anno noſtræ Urbis in legibus Oraculum Lucas Vernacius Cremonenſis Patritius emicuit.

1439 Alexander Borromæus, ex celeberrima undequaque familia, toti Orbi notiſſima. *Breſ.* hoc tempore Veneti adhuc propè Cremonam, Sfortia ſuadente, navali prælio fuſi, & expulſi a Philippo Maria, Blaſio Aſſareto Januenſi, Legionum Mediolanenſium in aquis Præfecto. *Gad.* Patres Ordinis Servorum B. V. M. cæperunt inhabitare Ædes Sancti Cataldi in Suburbiis aduſque annum 1526., a quo ob bella, combuſtis eorum Ædibus, intra Urbem ſeſe in Divi Victoris Cænobium receperunt.

1440 Idem Borromæus confirmatur. *Breſſ.* Eodem tempore Dux Mediolani Blancam Mariam ejus Filiam, quam in Sponſam Sfortiæ promiſerat, Cremonam miſit, a Borſio Eſtenſe Marchione aſſociatam, quam ſecùm inde Ferrariam duxit, juncto fœdere inter Philippum Mariam, & eumdem Sfortiam. Daniel Arlunnus Cremonenſis hoc tempore eligitur Forlivii Epiſcopus; *Pennottus in hiſt. tripartita Canonicorum Lateranenſium pag. 625.*

1441 Rubertus de Viano. *Cavitel. Breſſ.* & ex Literis *Arch.* Die 25. Octobris hora decima ſeptima in Eccleſia S. Sigiſmundi, Suburbiorum Cremonæ, Franciſcus Sfortia ſibi in Conjugem adjunxit, Nobilium, undique Collectorum magna Comitante Caterva, Blancam Mariam Philippi Mariæ Filiam, annorum ſexdecim, traditis ei in Dotem Urbe noſtra, & Pontremulo: De hoc marmorea extant monumenta in ea Eccleſia.

1442 Idem Rubertus de Viano. *Breſſ.* Hyems ultra modum frigidiſſima, ac præ nimio gelu Padus concretus. Die decima Januarii ſancito fœdere inter Sfortiam, & hanc Patriam, cui multa ipſe contulit favorabilia.

1443 Jacobus Silveſtrinus de Nurſia. *Breſſ.*

1444 Antonius Lancius, nuncupatus il Gallo, Senenſis. *Breſſ.* Blanca Maria die 18. Januarii in Civitate Firmi, quò adverſæ fortunæ caſibus ſe receperat, peperit Galeacium Mariam.

1445 Liberius Bonarellus Eques Florentinus a *Cavitel.*, ſed meliùs Anconitanus. *Gadius*, & *Breſſ.* Pax componitur inter Summum Pontificem, & Franciſcum Sfortiam, quem ipſe S. P. in Marchionem Marchiæ Anconitanæ creavit. Huic Bonarello directa eſt epiſtola Franciſci Philephi ex Mediol. idibus Martii 1441. ut in lib. 5. epiſt. in qua mirificè laudat Patrem ejuſdem tunc mortuum. Ex hac familia exacto ſæculo floruerunt Comites Guidobaldus, & Proſper, ambo clariſſimi Poetæ.

1446 Petrus Georgius de Almericis Piſanus, *Breſſ.* Hoc anno cum ſæpe ſæpius tentaſſet Philippus Maria Franciſcum Sfortiam, crudeli pœnitentia ductus, ut ſibi dimitteret Cremonam pro aureis decem millibus, quos ei quotannis pendere offerebat, nec ei aſſentiri vellet, Philippus,

coacto

coacto exercitu, Urbem nostram obsideri jussit, sed Civium fides, duce Jacomatio Guarna Salernitano pro Sfortia, pugnavit, ac hostes fudit.

1447 Joannes Franciscus de Bottichiellis, seu Buttigella Papiensis, *Cavit.* a *Gadio* Buttigella. Die 13. Augusti Philippus Maria obiit anno ætatis suæ 49. Sfortia nedum Cremonam, sed totum amplum Mediolani Dominium sibi subjecit, ductis Uxore, & Filiis Cremonam, Dominatione sua longe, lateque firmata, recuperavit.

1448 Idem Buttigella, ex *Bress.* & *Gad.* Mense Maii Classis Veneta triremium viginti sex, ac plurium Navium, Andrea Quirino Duce, dum die 15. Junii appulsa Cremonam, oppugnasset pontem super Flumine Padi, comissa pugna, & parta victoria profligatur, eodem Jacomatio Salernitano, ex nostris, Duce intrepido; Nec omittendum duco, quæ scribit *Gadius*, in hoc conflictu, & nempè Blanca Maria Sfortiæ Uxor, suis cum Cremonensibus Portam Mosiam egreditur, conscenso equo, adversus hostes telo armata, quæ, cum in Prælio quemdam audacem Militem, obviam sibi euntem, conclamantem audisset, hac voce, *Vivat Marcus*, eodem telo læthaliter vulneravit, ejusque animam cum sanguine extraxit: Tandem hoc anno Pax inter Venetos, & Sfortiam.

1449 Albertus Marlianus Mediol. *Cavitel.* hoc anno Sfortia obsedit Mediolanum; *Idem Cavitel.*, obtinuitque Parmam, & Novariam. *Campus.*

1450 Petrus de Lunate Papiensis. *Cavitel.*, & eodem anno.

Aloysius de Pithiis Florentinus. *Idem Cavitel.*, & *Campus*, a *Gad.* de Pithis appellatur. Floruit Petrus Barbovius, cognominatus Soncinas, ab Oppido Soncini Cremonensis, Paduæ publicus, & perinsignis legum Interpres, operibus etiam editis clarissimus. Sfortia ingressus Mediolanum die 27. Februarii, & die 25. Martii totius Ducatus Mediolani, pacatis rebus, Insignia, & Dominium reassumpsit.

1451 Albertus Marlianus, qui supra, *Cavitel.* Die 3. Augusti ex Blanca Maria in Castro Viglebani nascitur Ludovicus Sfortia. *Gadius.* Hujus Prætoris erat Vicarius Aloysius de Alamanis de Florentia. ex *Arch.*

1452 Altoblancus Ludovicus de Cadonatis, *Cavitel.* at meliùs de Giandonatis. Veneti contra Sfortiam, quibus ipse in Agro Brixiensis, coacto exercitu, restitit. Cremonæ majus Xenodochium erigitur, in unum redactis redditibus Domuum Hospitalium, hinc inde erectarum, ut refert *Cavitel.*, qui hòc anno memorat Nicolaum Gregorium, & Georgium de Lazolis Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, inter Viros illius ævi Venerabiles, quos hic lubentissimè memoro, cum essent meæ Familiæ conjuncti; præcipuè verò, cum Georgius Beati titulo decoretur.

1453 Idem Altoblancus Ludovicus de Giandonatis Florentinus; A Francisco Sfortia Prætor eligitur, ex *reg. Arch.* Nicolaus Amidanus Cremonensis florebat, qui ex Placentiæ Infula ad Mediolani Archiepiscopatum evectus, decessit anno sequenti. *Campus.*

1454 Idem Altoblancus, hic Altoblancus ille eſt, quem *Cavitel.* vocat de Cadonatiis, per Semeſtre confirmatur ad aliud, ex *reg. Arch.* Hoc tempore floruit Apollinaris Offredus eximius Philoſophus, qui multa ſcripſit in libris Poſteriorum, & de Anima ſuper Ariſtotelem, editos exindè, *ut nos in primo Tomo Cremonæ Lit.*

1455 Paulus Mandellus Mediolanenſis. *Breſſ.* Verùm
Jacobus Caſtillionæus Mediolanen. *Cavitel.* Die 23. Martii Aſcanius Maria, Franciſci, & Blancæ Mariæ Filius in Caſtro S. Crucis Cremonæ naſcitur. Hic fuit S.R.E. Cardinalis, ut ſuo loco, de ejus ortu ſcribit in ſuis Carminibus; *Franciſcus Zava Tom. 2. in Panegyri Nicolai Sfondrati.*

Ecce Cremonenſi fæliciter ortus in Arce.
Aſcanius, magno Sfortia Patre, ſatus.
Aſcanius Tyrio dignè conſpectus in Oſtro.
In Patria hac, ſi qua gloria, natus adeſt.

Hujus anni, tertio nonas Decembris obiit Joanna de Viſcllis Nob. Virgo Cremonenſis, Sanctitatis, & Virginitatis Speculum antonomaſticè appellata.

1456 Idem Caſtillionæus. *Breſſ.* Caſtrum Cremonæ ampliatur.

1457 Paulus Amizonus Mediolanenſis. *Cavitel.* hoc anno Franciſcus Sfortia, ſuperatis undequaque, quibus premebatur, anguſtiis, & Contumacibus, qui Philippo Socero parebant, ad obſequium redactis, Viriſque inſignibus, rebus Civilibus componendis, ac juredicondo adhibitis, nonnulla decreta, etiam pro Urbis noſtræ regimine inſtrui juſſit, quæ in volumine Statutorum edita leguntur. Hæc præcipuè non omittenda, initio habentur.

Inter cæteras Ditionis noſtræ Urbes, quarum Principatum Divina Clementia obtinemus, Cremonam utique dileximus ſemper, & amavimus, & quanto dici poſſit omni ſtudio proſequimur. Hæc enim Principatus noſtri initium, hæc janua ad conſequenda hujus Dominii noſtri jura, hæc ad victoriam Inſtrumentum, hæc denique in medio noſtrarum rerum ardore ſuſtentaculum nobis fuit; Cujus conſtantiſſimam fidem, & animi integritatem omni officio, in omni fortuna ſumus experti, quo fit, ut de ea præcipuè gerere curam debeamus &c.

1458 Idem Amizonus. *Cavitel.* & *Breſſ.*

1459 Amizonus adhuc. *Cavitel.* &
Antonius de Michaelibus Senenſis, ex *reg. Arch.* ejuſdem anni, &

1460 Idem de Michaelibus.

1461 Benedictus de Curtis Papienſis. *Cavitel.*

1462 Idem Benedictus confirmatus. *Breſſ.*

1463 Benedictus idem. *Cavitel.* In elegantiorem formam Templum Divi Sigiſmundi in Suburbanis, ope Blancæ Mariæ, in quo fuit deſponſata, una cum Archiſterio adhærente redigitur, de quo latè Deſiderius Arifius, Frater meus chariſs. ejuſdem Archiſterii Monachus fusè ſcribit

in

in sua de Pictor., & *Architect. Cremon. Historia.*

1464 Bartholomæus de Zabolis de Parma, ut ex *reg. Arch.* non autem Bernardus de Zambellis Parmensis, ut notat perperam. *Cavitel.*

1465 Philippus Petrasancta Mediolanensis. *Bress.*

1466 Idem Petrasancta. *Bress.* hoc anno pariter,

Albertus Brusculus Bononiensis; quo, die 8. Martii Franciscus Sfortia Dux repentino fato eripitur; hydrope tamen laborabat, ætatis annorum 65., non autem 75., ut scribit *Campus;* qui postea se corrigit, ubi Francisci exhibet effigiem. Eidem successit Galeacius Maria florentissimæ juventæ Princeps, revocatus a Gallis, cum in auxilium Ludovici Regis, adversùs Britannos accitus esset.

1467 Benedictus de Curtis iterum. Florebat Bartholomæus Petronius insignis Rhetor Cremon. Filiorum Francisci Sfortiæ Præceptor.

1468 Joannes Baldovinus Papiensis. *Cavitel.* Galeacius Maria Uxorem duxit Bonam, Filiberti, Ducis Sabaudiæ Filiam. *Gad.* & *Cavitel. Campus* veró Bonam vocat ejusdem Ducis Sororem. Die 19. Febr. ad Superos evocatur piissima Virgo Cremon. Elisabeth Picenarda, Mantuæ, Ord. Serv. B. M. V. Die 23. Octobris in Oppido Melegnani Blanca Maria moritur.

1469 Petrus Eustachius. *Bress.*

1470 Joannes Antonius Eustachius. *Cavitel.* Verùm vereor, nè sit idem cum superiùs memorato Eustachio. Brocardus de Persico, Vir celeberrimus, etiam in literis, Patritius Cremonensis, obiit Neapoli Supremus Ferdinandi Regis Cancellarius; eodem tempore, &

1471 Hieronymus Guido, seu Guidonus Mutinensis, ex *reg. Arch.*

1472 Ursus Ariminensis, a *Cavitel.*

Rubertus Ursus Ariminensis. *Bress.* eodem anno.

Antonius de Montecatino J. U. D. de Ferraria, ex *reg. Arch.*

1473 Ambrosius Mirabilia Mediolanensis. *Cavit.* & ex *Arch.* Hujus anni die 14. Maii Blanca Francisca Francisci Sfortiæ, Mediolani Ducis Filia Monasterium S. Monicæ Cremonæ ingreditur, ubi Augustinianum Institutum amplectens, sanctè vixit, & obiit anno 1516.

1474 Idem Ambrosius. *Bress.*

1475 Philippus Petrasancta Mediolanensis, ex *Arcb.* idem ex *Cavitel.* Die 1. Januarii Christiernus Rex Daniæ, Sveviæ, & Norvegiæ hoc anno Cremonam applicuit, Romam iturus.

1476 Antonius Siccus. *Cavitel. Vide Landum de Sen. Mediol. lib. 3. pag.* 100. *in inscript. Jo: Ant. Sicci.*

Comes Joannes Baptista Ardengherius Parmensis, ex *Bress.* Die 26. Decembris Galeacius Maria Dux in limine Templi, Divo Stephano Protomartyri dicato a Conjurátis aggressus, pugionibus atrociter vulneratus interimitur, infidæ felicitatis celebre apud Posteros monumentum!

1477

1477 Angelus Trovamalla Papienſis, quem Literæ Patentes, ei datæ pro Prætura aſſerunt Mediolanenſem, ex *reg. Arch.* forſan Genitor Franciſci Trovamallæ, itidem Senatoris, de quo *Land.*
1478 Idem Trovamalla. *Breſ.*
1479 Trovamalla adhuc-- Peſtilentiæ ſtrages, & ſqualores in Italia, præcipuè Cremonæ, ut quocumque aſpiciebatur nihil erat, niſi mortis imago, & ex qua Cives noſtri extra Portam Moſiam, Eccleſiam Divo Roccho Protectori acclamato, dicatam conſtruunt, modo ex bellis dirutam; Ludovicus Sfortia Barri Dux, Joannis Galeacii Patruus, in Dominium, pro Nepote titulo Gubernatoris affectato, intruditur, ejecto Cicco, ſive Franciſco Simonetta Rectore Supremo, in Caſtrum Mediolani detruſo, deindè in illo Papiæ capite tyrannicè plexo; Ille, qui in trium ferme Ducum Aulis innutritus, in eam magnitudinem creverat, ut omnium arcanorum particeps, Imperii moderator, fortunarumque Dator agnoſceretur.
1480 Andericus Cribellus Mediolanenſis. *Breſ.* Leonardus Botta Patritius noſter, Eques, & Ducalis Conſiliarius, una cum Branda Caſtilionæo Comi. Epiſ. a Ludovico Romam miſſus ad Sixtum IV, pro pace inter Italiæ Principes componenda.
1481 Ambroſius Mirabilia Mediolanenſis, iterum *Breſ.*, & ex *reg. Arch.* Bartholomæus Sacchus, Platina nuncupatus, Civis noſter doctiſſimus, Romæ a Peſte hoc anno ſublatus eſt, dum illic Præſul adeſſet.
1482 Idem Ambroſius. *Breſ.* Ludovicus SfortiaCremonæ adfuit, cum Duce Urbinate, Bellorum circumſtantium cauſa comotus.
1483 Idem Mirabilia: ex *Cavitel.* Die ſexta Januarii habita fuerunt Comitia Bellica Cremonæ, quibus interfuerunt Franciſcus Gonzaga S.R.E. Cardinalis pro S. P. Sixto Quarto Legatus, Alphonſus Dux Calabriæ, Ludovicus, & Aſcanius Sfortia, Laurentius Mediceus, pro Republica Florentina, Joannes Bentivolus Bononienſis, pro Duce Ferrariæ, Fridericus Mantuæ Marchio, Bonifacius Montisferrati, ad compeſcendam Venetorum potentiam, tunc prementium Ferrariam, Primario Exercituum Præfecto, Calabriæ Duce electo.
1484 Petrus Landrianus Mediolanenſis. *Cavitel.*
Dominicus Cadamuſtus Laudenſis. *Breſ.* Die 17. Martii a Sixto Quarto Aſcanius Maria Sfortia inter Cardinales cooptatur; Hinc Cremonenſes promunt pro tanto Cive, & Principe lætitiæ ſigna publica, inumerabilia. Dux Calabriæ cum Ludovico Sfortia iterum Cremonæ. Fœdus etiam die 7. Auguſti promulgatur inter Venetos, & Ducem Mediolani.
1485 Idem Cadamuſtus. *Breſ.*
AlbertusBruzulus: *Cavitel.* Sed melius Albertus Bruſculus, & ponendus anno ſequenti, ut ex *Arch. reg. ſign. M.*, ubi titulo Comitis, & Patritii

Patritii Bononiæ nuncupatur, prout ex literis Joannis Galeacii Mariæ Sfortiæ Ducis de ejus Electione, diei 2. Septembris 1486., ex quibus Prætor constituitur ad annos tres.

1486 Idem Comes Brusculus. Hoc anno Rennatus Triultius, Marchionis Joannis de Cavalcabobus Gener inter Cives Cremonæ recipitur, ex *reg. Arch.*

1487 Comes Brusculus itidem, ut vidimus in memoratis literis.

1488 Idem Brusculus pro aliqua parte hujus anni, ex *reg. Arch.* Signorolus Homodeus Mediolanensis. *Cavitel.* Fuit J. C. celeberrimus, ut ex suorum librorum editione, de eo etiam. *Cavitel.* Habita fuit Synodus generalis totius Ordinis, Cremonæ, per Patres Minores Conventuales in Cænobio Divi Francisci, in quo oravit Nicolaus Lugarus Rhetor clarissimus Cremonensis.

1489 Augustinus Olgiatus Mediolanensis J. C. *Cavitel.* Joannes Galeacius Mediolani Dux Isabellam Aragonensem, Alphonsi Ducis Calabriæ Filiam in Uxorem ducit; quæ die prima Februarii Mediolanum magnificè ingreditur.

1490 Idem Olgiatus adhuc. *Cavitel.* Vites in Agro Cremonensi inopinata frigidissima pruina deussit die 4. Octobris; & fruges autumni sequentis anni, lacrimabili damno ferè omnes absumptæ.

1491 Olgiatus itidem, ex *Bres.* Ad sublevandam pauperum inopiam Mons Pietatis in Xenodochio Majori erigitur.

1492 Anselmus Rubeus Parmensis. *Bres.* Isabella Joannis Galeacii Conjux apud Alphonsum Calabriæ Ducem ejus Genitorem, justè conqueritur de Ludovico Sfortia; Ipse enim non uti Gubernator, sed tanquam Dominus, Nepotis Ditiones, res, & subditos regebat. Quapropter indignatus etiam Ferdinandus Neapoli Rex, Paternus Avus Isabellæ, ejus arma, terra, marique valida contra Ludovicum investit. Hinc Ludovicus, vocatis Gallorum auxiliis, incidit in Foveam, quam sibi fecit incautè, ut ex illorum temporum Scriptoribus. Hoc anno 1492. eximia memorati Nicolai Lugari cura editur ex prælis Cremonæ in Folio prægrandi, insigne opus *de remediis utriusque Fortunæ Francisci Petrarcæ*, cujus exemplar penes me servatur.

1493 Idem Anselmus Rubeus. *Bress.*

1494 Franciscus Pusterla Mediolanensis. Toti Italiæ infensus hic annus adscribitur, ob Gallorum in hasce regiones invasionem, suadente Ludovico Sfortia, qui etiam non erubuit sollicitare Bajazetem Turcarum Imper, ut in Italos & ipse armis descenderet. Carolus Francorum Rex Papiam venit Octobrio mense, ad invisendum Jo: Galeacium, qui tunc graviter infirmabatur, demortuo postea die 20. illius mensis, non sine veneni suspicione, annorum 25., superstite Francisco annorum quatuor: de quo perspectis non paucis Chronographis de obitu

Jo:

Jo: Galeacii scribentibus, hujus unici Filii, ultimi germinis lineæ primogenialis Sfortiadum, eventus obscuro silentio obvolvunt, ut videatur illius memoria, veneno infelicissimi Genitoris deperisse. Campus noster in Hist. lib. 4. ubi de Isabella Aragonia Jo: Gal. Uxore, breviter sic se expedit, *il detto suo Figliuolo* (& scilicet parvulus Franciscus) *erede delle disaventure di lei, fu condotto in Francia, dove in vita Monastica, tosto finì la vita sua.* Verum fertur, ut aliquoties audivi, hunc Puerum, cum Ludovico Patruo magno, traductum in Galliam fuisse, eumque illuc Clericalibus ordinibus initiatum, ex Ludovici Regis XII. jussu, & Ecclesiasticis redditibus, ac titulis insignitum extitisse. Ast magis, magisque desæviente fortuna in Venatione ob lapsum equi, quem volunt effrenatum, data opera ei præstitum, præcipitanter occubuisse. Ludovicus igitur Sfortia, nuncupatus *il Moro*, non a nigredine aspectus, ut aliqui autumant, sed a planta Mori, quam sibi callidè in symbolum effinxerat, ut singularis prudentiæ Princeps reputaretur; nam Morus postremò omnium arborum floret, ex quo prudentissima arbor dicitur, quia lædi se a frigore non sinit. Ludovicus inquam Mediol. Dux acclamatur, relicto Puero, verò hærede ad sortis ludibrium, eidemque per Maximilianum Imper. Dominii investitura expeditur; ut singulis tamen annis Imperii ærario persolveret florenos aureos duodecim millia, aliisque pactis, quæ hic referre non juvat. Epistolam veró Ludovici, qua Cremonenses monitos reddidit de morte Nepotis, ne in eo quicquam mali suspicatum esset, lubet exscribere, ex *reg. Arch.* depromptam.

Spectabiles, & Egregii Amici nostri carissimi. Affectus febri aliquot diebus Illustriss. D. Dux Nepos noster, cum nunc ea levatus videretur, magnaque spes brevi liberum eum fore, invasit eum repentina, & magna vis morbi, qui ejus Dominationem nobis hodie eripuit. Acceptis tamen antea boni Christiani more religiosis Sacramentis; qui casus, & si uti incredibili dolore, ut debet, nos affecit, eum ita nobis maximum mærorem allaturum pro vestro in eum affectu, & fide non dubitamus. Nihilominus, cum irreparabilis sit casus, ut feramus omnes, quo æquiori animo possimus, necesse est.

Mediolani 21. *Octobris* 1494.

Ludovicus Maria Sfortia.

A tergo Spectabilibus, & Egregiis Viris, Amicis nostris carissimis Commissario, Potestati, Referendario, & Præsidentibus Urbis Cremonæ.

Hac durante hyeme viguit aeris serenitas, nec pluit, nec ninxit, & manna de Cælo dilapsa est in Territoriis Cremonæ, Papiæ, Alexandriæ, Derthonæ, Parmæ, & Placentiæ, ex frondibus Arborum collecta. *Cad. & Cavit.*

1495 Hilarius de Gentilibus Derthonensis. *Cavit.* in angulo Palatii publici, è regione Plateæ parvæ nuncupata, olim Plateæ Capitanei, aderat

rat hujus Prætoris in marmore inſcriptio, a me recognita, cum inſigniis ſuæ Familiæ, temporum quidem injuriis, modo ſemiconſumpta.

1496 Idem Hilarius confirmatur. *Breſ. & reg. Arch.* Marchiſinus Stanga Patritius noſter, Ludovici Sfortiæ intimus Conſiliarius, ab eodem ad Maximilianum Imperatorem pro rebus arduis Orator ablegatur. Floruit hoc tempore Leonardus Maynardus Patrit. Cremon. excellens Aſtronomus, de quo fuſe in Crem. Lit. tom. I.

1497 Hieronymus Vicecomes, ex *reg. Arch.* Die ſecunda Januarii Beatrix, Uxor Ludovici Infantem abortivè enixa, ex ipſo partu moritur, Ducalibus exequiis tumulata. *Gad. & Camp.* Die prima Februarii, Baptiſta Plaſius excellens Aſtronomiæ Profeſſor Cremonenſis obiit, ſepultus in Templo Divi Auguſtini, ubi in arca marmorea, eleganter elaborata ad Sacellum Divo Nicolao a Tolentino dicatum, proſtat ejus Epitaphium. Alexander Oldoynus Cremonenſis Patritius, Romæ ex Sacræ Rotæ Auditore, aliiſve dignitatibus præſignis, ab Alexandro VI. Summo Pontifice Ceſareæ Archiepiſcopus nominatur; Fuit & Cardinalis Sfortiæ Epiſcopi noſtri, in ejus abſentia Suffraganeus. Obiit anno 1514. hic tumulatus ad Divi Vincentii Ædem.

1498 Idem Vicecomes confirmatur; *Cavit. & Breſ.* Veneti non immemores injuriarum Ludovici Sfortiæ, & præcipuè in obſidione Piſarum, ad Ludovicum Francorum Regem, Caroli nuper defuncti ſucceſſorem, Legatos expediunt, ut contra ipſum Sfortiam, qui Mediolanenſe Imperium, quod ei hæreditario nomine devolvebatur, feſtinanter ab injuſto Domino, ut ipſi dicebant, auferret; ſe ſe Regi in omni eventu offerentes; deindè Alexandro VI. S. P. per ſuos Oratores promiſerunt (tamen antè pugnam triumphum) pro Valentino Duce, ejus Spurio, Imulam, Forum Livii, Faentiam, & Piſaurum, ubi ipſe S. P. Francorum Regi adhæreret; hinc infracta Sfortiana Potentia, ſubjectoque Mediolano, Venetis ipſis Cremonam, cum Glarea Abduæ dimitteret, ac reliquum detineret.

1499 Auguſtinus Olgiates, ſeu Olgiatus, qui ſupra, Prætor etiam annis 1489. & 1490. Ludovicus infelix, initis ſecretis colloquiis cum Aſcanio Maria Cardinali Fratre, ad Maximilianum Imperatorem celeri greſſu properat, qui poſtmodum, collectitiis Alemanorum legionibus Mediolanum ingreditur (non autem in Caſtrum, jam occupatum a Gallis) Novariam deinde contra Gallos invectus, cum quibus leviter pugnatum ſæpe fuit; aſt tandem ab Helvetiis, quorum defenſioni plurimum fidebat, incautè capitur, & Gallorum arbitrio, ſ... ferrimè captivus traditur; docens, malè partum imperium, diu retineri non poſſe; Veneti interim menſe Septembris in vico Sancti Martini in Beliſeto, ad quintum Lapidem ab Urbe noſtra caſtrametati, cum eorum exercitu, Duce Nicolao Pitiliani Comite, in agrum impetum facientes,

 dein

dein annuente Ludovico XII. Francornm Rege, cum eis fœderato, initis pactionibus, Marco Antonio Mauroceno, & Francisco Foscareno pro Republica intervenientibus, die decima illius mensis Cremonam obtinuerunt; hinc mense Octobrio subsequenti, ab eis primus ex Nob. Venetis Prætor eligitur

1500 Dominicus Trevisanus; *Gadius*, *Cavitel. Campus*, *Bresſ.*, & ex *reg. Arch.* In quadam magna Sala, ut ajunt, Palatii publici prope Scalam, depicta sunt adhuc ejus Familiæ Insignia.

1501 Paulus Barbo, & perperam Balbus a *Cavitel.*

Dominicus Bolanus, qui licet esset magnus Capitaneus appell. in *reg. Arch.* anni 1500. vocatur & ipse Prætor, forsan per errorem Amanuensis.

1502 Paulus Pisanus Eques, ex *reg. Arch.*

1503 Hieronymus Donatus Eques; Die sexta Januarii ingressus est Urbem, hora prima noctis, ex *reg. Arch.* In Prætorio juxta majorem Scalam, marmori exculpta leguntur hæc carmina.

M.D.III.

Jam pridem addictas Urbis Rectoribus ædes,
Sors mala Cauponæ verterat in faciem.
Sic neglecta, situ propè jam collapsa, ruebant
Atria, sub tenebris squallida perpetuis.
Donatus Prætor cuncta instauravit, & auxit:
Pulchrior, ut sub se pulchra Cremona foret.

Hoc anno obiit Zanardus Bagarottus Patr. Cremon. Ep. Sutrii, & Nepetæ, de quo in *Crem. Liter. Tom.* 1.

1504 Bartholomæus Æmilius, *Cavit.* Hoc anno Ascanius Maria Sfortia Cardinalis, post ancipites variosque casus Romæ moritur.

1505 Idem Æmilius in Prætura confirmatur. *Cavitel.*

1506 Laurentius Priolus, ex *reg. Arch.* ejusdem anni, peculiariter a me recognitis; Verùm *Gadius*, & *Cavitel.* hoc anno recensent, erronee quidem, Paulum Pisanum, qui Præturam gessit, anno 1502., ut vidimus.

1507 Joannes Æmilius, ex *Cavitel.* & *Bresſ.*

1508 Aloysius Mula, ex *reg. Arch.* Die 15. Aprilis Exercitus Gallorum in agrum Cremonensem irruit contra Venetos, in eos indignatus Francorum Rex, ob fœdera, eo inscio, inita cum Summo Pontifice, Maximiliano Imperatore, ac Rege Hispaniarum; die tertia Maii multi Nobiles Cremonenses, Venetis suspecti, ab Urbe relegantur. Hoc itidem anno Ludovicus Sfortia in Civitate Burgensi, Galliæ Transalpinæ moritur, superstitibus Maximiliano, & Francisco Filiis.

1509 Idem Aloysius, qui Præturam administravit usque ad diem 24. Junii, qua die Ludovicus Gallorum Rex Cremonam ingreditur, Triumphantis ad instar, eumdem Comitantibus septem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Alphonso Duce Ferrariæ, Francisco Mantuæ,

&

& Montisferrati, Salutiarum Marchionibus, ac Legatis Summi Pontificis, Cæsaris, & Regis Hispaniarum, ex *Gadio*, *Cavitel.*, *Campo*, & *Bress.*, ac ibi Prætor constituitur illico, & etiam pro anno sequenti
1510 Franciscus Balcius, seu Baucius Gallus. *Gadius*, & *Campus*, a *Cavit.* malè vocatus Joannes Baptista de Balzo. Obiit verùm in Prætura, cui substituitur
1511 Petrus Borbonius, sive Borbonus, ex *Cavit.* Hoc anno die 20. Sep-
& tembris dira Pestilentia initium habuit, sæviitque ferè per triennium;
1512 Hinc extra Portam Divi Lucæ erectum fuit Hierocomium, vulgo Lazzaretto; Item serpuit dira fames. Eodem pariter anno moritur Ludovicus XII. Gallorum Rex, cui successit Franciscus Primus.
1513 Ludovicus Gallaratus electus die 8. Junii hoc anno, ut ex *reg. Arch.*
Alexander Sfortia Pisaurensis pro Maximiliano Sfortia, Ludovici Filio ad Dominium restituto, & die 16. Novembris lubentissime Civium omnium plausu in hanc Patriam recepto.
1514 Bernardus de Comitibus, Comes Patavinus Prætor pro Sfortia, ex *Cavitel.* Bernardinus vocatur a *Dominico Bordigallo* in ejus parvo Chronico mss., penes me; Item ex *Archivio*. Hoc anno Andreas Burgus, Patritius Cremonensis Maximiliani Cæsaris Consiliarius, & Orator apud Sfortiam, investitur de Feudo Castrileonis.
1515 Bernardinus Carnevalius Papiensis. Die 8. Januarii a Maximiliano Duce Senator eligitur Petrus Joannes de Schinchinellis, Alexandri Filius, ut ex diplomate in *Secundo Tomo Cremonæ Lit. pag.* 23., ingens Bellum inter Venetos, & Hispanos, ex quo etiam ager Cremonensis multas est devastationes perpessus; Unde Carnevalius dimisit Præturam, quamvis a Maximiliano Duce fuisset electus Prætor Biennalis, ex literis diei 18. Maii 1515. ut ex *Arch.*
1515 Guido Materonus de Granopoli. *Cavitel.* Materonus verò Gratio-
usque nopolitanus, ex *Gadio* confirmatur in Prætura, usque ad finem anni 1521.
ad Obiit nempe die 12. Decembris anni prædicti. Die 17. Octobris 1515.
1521 Castrum S. Crucis Cremonæ, Galeatio Pallavicino traditur pro Gallorum Rege a Brunorio Petra, in eo residente pro Mediolani Duce. Die octava Januarii 1516. Nicolaus Lugarus Rhetor eloquentissimus, sæpè memoratus moritur. Tempore hujus Præturæ multa, & multa memoratu digna contigerunt, & præcipuè dissidia, & prælia, quæ videnda sunt apud nostros Chronographos.
1522 Barnabas Puteus J. C. Placentinus. *Cavitel.* memoratur a *Crescentio in Tract. Nobilit. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 37. Die 16. Januarii: Quatuorcentum Cives, & ultra relegantur a Gallis, eis assignatis confiniis in Dominio Venetorum. Initio mensis Maii in Suburbiis Ecclesiæ Sancti Ambrosii, Omnium Sanctorum, Divæ Catharinæ, & Sancti Gulielmi funditus evertuntur. Die Jovis 4.ᵗ Julii Galli ab Urbe nostra recesse-

runt, percusso fœdere cum Prospero Columna, Exercitus Imperialis Generali Præfecto, dum esset Cremonæ mense Maii; immisso tandem Francisco Sfortia, ex voto Maximiliani Fratris, ab anno usque 1515. in Galliis detenti, per Franciscum Regem ad Mediolani Dominium; ibi ab eo Prætor constituitur

1523 Comes Antonius Barbianus, seu de Balbiano Mediolanensis, ex *reg. Arch.* a me recognitis, non Comes Ludovicus, ut a *Cavitel.* vocatur. Celeberrimus inter Poetas, & Oratores Episcopus M. Hieronymus Vida, Patritius noster floruit Romæ, editis ejus Carminibus, jubente Leone X. S. P. Hoc itidem anno die 21. Augusti Bonifacius Vicecomes Franciscum Sfortiam Secundum, Mediolani Ducem a Modoetia, Mediolanum equitantem, pugione propè collum vulneravit, animo eum jugulandi; at illicò ei exsucto vulnere per Marcum Antonium Fabagrossam Cremonensem, ejus Aulicum, ne putrefieret ob retardatam curationem, brevi reconvaluit; Hoc pariter anno inter Hispanos, & Gallos propè Mediolanum pugnatum est, parta Hispanis victoria. Fridericus Gonzaga, Bozuli Princeps, jussu Francorum Regis die 25. Septembris a Civibus sibi tradi Cremonam petiit, secùs, agrum stragibus, & incursionibus a se depopulandum minabatur; cui Cremonensibus perfractè resistentibus, die sequenti, summo mane Galli muralibus tormentis, illicò paratis, juxta Monasterium Sanctimonialium Divæ Monicæ, mœnia Urbis vehementissimè verberarunt, petras tantùm, non pectora Civium quatientes; Propterea suum Exercitum ad tertium ab Urbe lapidem retraxerunt; die vero tertia, & quarta Octobris subsequenti, furore Gallico succensi, iterùm propè Urbem in eumdem locum tercentum, & ultra replicatis Bombardarum ictibus (nunquam ab ulla memoria, tantum tormentorum ad unam oppugnationem collatum fuit) prostrarunt mœnia, Urbem occupare inhiantes, a nostris tamen Militibus strenuè repulsi, Galli retrocedere coacti, ac non sine rubore meticulosi, præcipiti gressu Novariam accedere, eaque brevi relicta, propè Flumen Sesiæ cladibus attriti, Sfortiæ Principatum, Aprilis mense deturbare cessarunt.

1524 Theodorus Oxius Mediolanensis; non Orsius, ut a *Cavitel.* Substitutus Balbiano defuncto, ut ex *reg. Arch.* diei 3. Novembris. Dux Sfortia, Cæsaris, & Venetorum Legati die 18. Decembris in Arce Cremonæ habuerunt Comitia, de bello gerendo adversùs Regem Gallorum; ut communibus viribus, ac consiliis ab Italiæ finibus arceretur.

1525 Idem Theodorus Oxius; ex *reg. Arch.* Hoc anno in obsidione Papiæ die 24. Februarii, in prælio, fuso exercitu, captus est Franciscus Gallorum Rex, cum Rege Navarræ, aliisque Principibus, & suis Chiliarchis a *Gadio* enumeratis, cum decrevisset post Papiam, si victor aderat, aggredi Cremonam. In Arce Piceleonis decimo, ab Urbe Lapide tra-

traductus; humanæ vicissitudinis exemplum, quibus etiam Monarchæ subjiciuntur, se exhibuit.

1526 Ascanius Botta Patritius Cremonensis; Togatorum suo ævo Doctissimus, Equitis Leonardi Filius, de quo plura scripsi in *secundo Tomo Crem. Lit. pag.* 73. Prætor ab Alemanis, & Hispanis deputatur ex *Gadio;* Urbs nostra crudelem passa est obsidionem a Venetis, Urbini Duce eorum Militum supremo Præfecto, inito exindè fœdere die 24. Septembris, Veneti die 10. Octobris abierunt, & die 18. Franciscus Sfortia II. Urbem ingressus est, ubi octomestre moram traxit. Hoc tempore, scilicet annis 1526. & 1527. Senatus Mediolanensis Cremonæ Sedem fixit, ex *reg. Arch.* signat. G. G. De hoc legendus est Ægidius Bossius in *Tract. Crimin. Tit. de Captura n.* 20.

1527 Signorinus Cutica Mediolanensis, Ascanio Bottæ subrogatur a Sfortia, qui ut imposterùm deligeretur Prætor nostræ Urbis, ex Amplissimis Mediolani Senatoribus, die 6. Novembris per diploma decrevit, quod operæ pretium, hic ad literam recensere, pro Patriæ nostræ decore duximus.

Franciscus Secundus Sfortia Vicecomes Dux Mediolani, & Bari, & Papiæ Princeps, Angleriæque Comes, & Cremonæ Dominus.

Et si Civitas nostra Cremonæ post Mediolanum Primaria semper extiterit, de eaque Illustrissimi, ac Excellentissimi Progenitores nostri per retroacta tempora præcipuam curam, rationemque habuerint, non immeritò prædictorum vestigia insequentes ad id faciendum, nos eo magis obstrictos fore fatemur, quo ejus, ac Civium, & Incolarum auspiciis, & ope non semel tantum, sed pluries cæteras Dominii nostri partes ab Hostibus indignè occupatas recuperavimus, in eaque sæviente fortuna nos, & nostros ferè omnes aluimus. Cum igitur ammoto Prætore, quem alias dictæ Civitati præfeceramus, de alio providendum sit, multique nobis occurrerint Viri Amplissimi, ad quos munus jusdicendi in ipsa Civitate tutò demandari possit; attamen, quoniam statuimus, ut de cætero Prætura dictæ Civitatis per Senatores nostros exerceatur, & nemo nobis aptior visus est Spect. J.C. D. Benedicto Tonso Senatori nostro dilectissimo, cujus ingenium, & probitas, eximiaque jurisperitia nobis comperta sunt: Propterea harum serie, memoratum D. Benedictum Tonsum Prætorem nostrum in dicta Civitate Cremonæ ad biennium facimus, constituimus, & deputamus, arbitrio, salario, honoribus, praeeminentiis, oneribus, prærogativis, & emolumentis, eidem muneri debitè spectantibus, & pertinentibus, ac per alios Præcessores suos legitimè percipi, & haberi consuetis; Mandantes Præsidentibus, Communitati, & Hominibus dictæ Civitatis Cremonæ, ac ejus Jurisdictionis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit eumdem Benedictum in possessionem dicti Offitii ponant, & inducant, positumque tueantur, & defendant, eique concernentibus dictum Offitium pareant, & de salario, & emolumentis debitis congruis temporibus respondeant, & responderi cum integritate faciant,

in quorum fidem præsentes fieri jussimus, & registrari, nostraque sigilli impressione muniri.

Dat. Laudæ die 9. Novembris 1527.

Signat. Franciscus.

In Calce Riccius. Cum Sigillo Ducali magno in cera alba &c. ex reg. Arch. ejusdem anni, de eo fit mentio, ac exscriptio in secundo Tomo Historiæ Cremonæ Mss. a Joseph Bressiano, Historico suæ Patriæ diligentissimo pag. *97.*

1528 Benedictus Tonsus, Michaelis Filius Mediolanen. Ducalis Senator, Prætor electus fuit. Repentina morte surreptus mense Aprilis ejusdem anni, laudatus fuit funebri panegyri per Danielem Cajetanum Cremonæ Rhetorem, ac Poetam eximium, & in Patria literarum græcarum, ac humanarum Magistrum, typis tunc edita, est penes me, cui in fine legitur subsequens inscriptio.

D. M.

Benedicti Tonsi M. F. Mediolanensis Patritii J. U. C. *Ducalis Senator Præt. Eq. pro Prin. PP. Lacrimosa Cremona P. I. MDXXVIII. M. Aprilis, vixit An. XLI. M. IV. D. VIII.* memoratur a Lando lib. 5. pag. 201. ubi, Benedictus Tonsus, Primus Cremonæ Prætor, Senator.

Cum in collectis Inscriptionibus renarrati Francisci Cicerei adsit sequens pag. 38. eam hic exscribere, non frustra duximus, Mediolani in Æde Braidæ Humiliatorum.

D. O. M.

Susannæ Archintæ Mat. piiss. quæ Michaelem Tonsum J. C. *Conjugem, Benedictum Senatorii M. Ant. Questorii ordinis filios luxit, superstites Franciscus Baptista* J. C. *ac hujus cœnobii Præsul, & Lud. mæst. P. nata annos LXXX. obiit mense Aprilis MDXLI.* adest & hæc adnotatio, ibi etiam mentio D. Camillæ Uxoris D. Benedicti Senatoris defunctæ MDXL. relictis Michaele, & Alexandro de Tonsis ipsorum Jugalium Filiis.

1529 Ludovicus Porrus J. C. Mediol. & Duc. Senator, Tonso, ejusdem post obitum substitutus, & pro successivo biennio. Porrus laudatur a nostro Vida in act. 3. eum vocando singularis ingenii, exquisitæque doctrinæ. Hoc anno grassante peste in Urbe, & in agro, insignes Cives, quammulti perierunt. Die Sabbathi 3. Julii terræmotu Cremona concutitur, & die subsequenti noctis tempore sanguis pluvit, teste *Gad.* qui portentosum hoc signum, peculiariter scripsit in sua historia rubro charactere. Georgius Gazzus, seu Gadius Patritius Cremonensis a secretis intimis Blancæ Mariæ, Joannis Galeacii Sororis, Maximiliano Imperatori nuptæ, a Francisco II. Sfortia ad Latum Clavum promovetur, demum Humiliatorum Præpositus Generalis.

1530 Idem Porrus, ex *Cavitel.* Prætura Cremonensis tunc effecta est biennalis, juxta decreta per Franciscum Sfortiam, ut vidimus.

1531 Ludovicus Piola J. C. Mediolanensis Ducalis Senator. Die
1532 sexta Junii cruenta, & horribilis seditio inter Plebejos, furentes contra Nobiles, distincte a *Gadio* narrata in sua Historia Mss., cui præsens ipse aderat.

1533 Idem Piola laudatus a *Campo*, qui labente hoc anno in Prætura defunctus est. Die 4. Martii Carolus V. Imperator è Bononia se in Galliam Cisalpinam recipiens, accessit Cremonam, ibi hospitatus ad nonnullos dies in Ædibus magnificis Nobilium de Trecchis; *Gad. & Cavit.*

1534 Julius Vivustinus J. C. Placentinus Duc. Senator. Die 2. Maii Fran-
1535 ciscus Sfortia II. nupsit Christiernæ, Filiæ Christierni Daniæ Regis, & anno 1534. Tydæus Oldoinus J. C. post habitas Præturas Ticini; Genuæ, Mediolani, & Alexandriæ, ab eodem Francisco in Senatorem delectus est. A Carolo V. itidem confirmatur Vivustinus. Anno 1535. die 2. Novemb. Idem Dux Sfortia Mediolani in Castro Jovis diem clausit extremum: In Dominio successit Carolus V., constituto Mediolani Dominii Moderatore Antonio de Leva Hispano: Ipsemet Carolus e Castro Villario die 10. mensis Novemb. 1535. post mortem Francisci Sfortiæ, Cremonensibus epistolam scripsit de indeptione Dominii Mediolanensis, hoc titulo, Nobilibus Nostris de Imperio Sacro Fidelibus, dilectis Deputatis Cremonæ; eam nos per extensum recensemus in *secundo Tomo Crem. Lit. pag. 99.* Hoc tempore Julius de Paternis Cremonensis, ex Ordine S. P. Francisci, eximius Theologus, a Paulo III. Manfredoniæ Archiepiscopus designatur.

1536 Franciscus Crassus J. C. Mediol., Cæsareus Senator, Prætor etiam
1537 in biennio 1544., & 1545. ob eximia merita a S. P. Pio IV. in ultima ejus Ordinatione, creatus fuit S. R. E. Cardinalis, de quo *Landus in Sen. Mediolani lib. 5. pag.* 170. ubi, Franciscus Crassus, quem magni nominis Cardinalem venerata est ætas.

1538 Marcus Barbavaria J. C. Mediol., Cæsareus Senator; *Vide Ruginel.*
1539 *de Senator. pag.* 35. *n.* 34., qui Barbavariam nunciat in Præsidem Senatus, post multas ejusdem laudes. Maxima hoc anno pluviarum copia, & Padi exuberans inundatio, ex *Gad.* Anno 1539. die 6. Julii obdormivit in Domino, die quidem obitus sui prænunciato, Sanctimonia, ac Nobilitate conspicuus Antonius Maria de Zacchariis Cremonenensis, Cleric. Regular. S. Pauli, vulgò Barnabitarum, primus ex Institutoribus, ætatis suæ annorum 39. Corpus ejus magna cum veneratione Mediolani in Ecclesia Monialium Angelicarum S. Pauli asservatur, de quo plura in *secundo Tomo Crem. Lit.*

1540 Joannes Masonerius de Brinonia Galliæ Narbonensis, J. C., & Se-
1541 nator, in nova Erectione Senatus de mandato Caroli V. Imper. die 1. Jan. 1527. Primo hujus Præturæ anno mirabilis siccitas, ex *Gad.*, qui subdit suo stylo, *post medium mensis Maii incepta fuit Messis Bladorum, &*

 Vin-

Vindemia frequens in principio Augusti, quod raro contigisse probatum est. Anno 1541. die 18. Augusti, secundus adventus in Urbem nostram Caroli V. è Germania ad obsidionem Algerinam; Hic magna Civium lœtitia, & solemni apparatu receptus, qui describitur a *Gad. & Campo.*

1542 Petrus Paulus Arrigonus, non Orrigonus, ut a *Cavitel.* Sena-
1543 tor Mediolani, valdè laudatus a *Vida in memorata Act. tertia*, fuit exinde Præses Excellentissimi Senatus Mediolani; *Gad. & Camp.* eum distinctè recensent. Anno 1543. die 14. Junii Carolum Quintum, usque ad diem 21. Cremonæ pro tertia vice, iturus Buxetum, ubi Paulus III. Summus Pontifex aderat, secum collocuturus. *Gad. Camp. & Cavitel.* ad diem 5. Junii, referens hunc adventum. *Vide Rugin. ut supra dicta pag. 35. n. 47.*, ubi plura de Arrigono, ac de ejus laudabilibus gestis; & quod in Civem Cremonensem fuerit cooptatus, causis ibi expressis.

1544 Franciscus Crassus, superiori loco memoratus. Anno primo hujus
1545 Prætoris, Franciscus Sfondratus Archiepiscopus Amalphitanus, Patritius Cremonensis, ex Mediolani Senatore a Paulo III. S. P. die 19. Decembris evectus fuit ad Purpuram. Die 30. Octobris 1545. obiit Mediolani Joannes Baptista Specianus, Patritius Cremonensis, Cæsaris Speciani Episcopi Genitor, Mediolani Senatus preclarissimum Sydus, ac perpetuus rerum Capitalium Præfectus (sive ut ajunt) Capitaneus Justitiæ, cui ære publico in nostra Cathedrali parentalia celebrantur, habita funebri Oratione a Marco Tartesio, Rhetore Patriæ non incelebri, typis edita penes me: Sepelitur Mediolani in Templo Pacis, ubi prostat Epitaphium.

1546 Vincentius Falcutius Eugubinus, Senator Mediolani, mox a Prætura revocatus, ut ex Electis ad magnum opus generalis Census Agrorum totius Mediolani Dominii, cujus tamen exitus ad plures, pluresve annos dilatus fuit; quod modo in novo generali Censu non est dubitandum, ex maxima integerrimi Tribunalis ad hoc delegati ab Augustissimo, sedulitate, & diligentia. *Vide ejus Epitaphium apud Landum de Sen. Med. lib. 5. pag. 176.*, *& seq.* eidem Falcutio subrogatur

1547 Alexander Vicecomes J. C. Mediol., qui Præturam gessit ad annum,
1548 usque 1550. Anno 1548. Maximilianus Archidux Austriæ, Ferdinandi
1549 Imperatoris Filius, una cum Cardinali Madruccio Episcopo, & Principe Tridentino, die secunda Julii Cremonam applicuit, ubi triduo consedit. Anno sequenti die decima Januarii, Philippus Hispaniarum Princeps, inde Rex, per Italiam proficiscens in Galliam Belgicam ad Carolum V. Patrem, Cremonam, & ipse divertit, a Civibus exceptus omnium plausu, & pompa. Padus hoc anno Decembrio mense, adeo glacie, & immodico frigore constipatur, ut teste *Campo* de visu, Currus, & Bigæ, pro ut in Viis stratis, & saxeis tutè discurrerent: En

ejus

ejus verba; *Del mese di Decembre incominciò un freddo fierissimo, per il quale il Pò si aggiacciò, di maniera che passavano gli Uomini, e le Bestie cariche, ed anco i Carri, ed alli 15. di detto mese io li vidi sopra il giaccio più di venti mila persone, assicurandosi anche le Gentildonne, di farli correre sopra i Cocchj.* Anno 1549. mortuo Benedicto de Accoltis Aretino, S. R. E. Cardinali, Episcopo Cremonæ, suffectus est ei noster Franciscus Sfondratus de quo supra.

1550 Joannes Paulus Bercius Papiensis J. C. Senator. Omittitur a Lan-
1551 do ejus Epitaphium prostans Mediol. in Ælde S. Francisci, ut ex collect. Francisci Cicerei. *Jo: Pauli Bertii Papiensi Civitate orti Jur. Cons. Maximi Med. Senat. celeberrimi, reliquum hic expectat, donec veniat immutatio sua. Annos natus XLII. sext. Id. Novemb. MDLVII. e vita excessit.* Anno 1550. die ultima Julii, maximo Cremonensium mœrore obiit febri correptus, non absque veneni suspicione, Cardinalis Sfondratus Episcopus noster, nondum bimestri elapso, ab ejus adventu in Patriam. Die 16. Junii 1551. Philippus Austriacus iterum Cremonam advenit è Germania, in Hispaniam rediturus. Die 6. Semptembris evolavit ad Superos Valeria de Alieriis, Angelicarum Monialium S. Marthæ Cremonæ Piissima Fundatrix.

1552 Joannes Baptista Raynoldus Mediol. J. C., & Senator. *Cavitel.* de-
1553 inde Sen. Excellentissimi Præses, de eo multa scribit noster *Zava in suis Orat. & Carm.*

1554 Joannes Baptista Pecchius Mediolanensis J. C., & Senator. Obiit in Prætura, cui sufficitur anno sequenti

1555 Danesius Filiodonus J. C. Placentinus, Mediolani Senator, dein
1556 Senatus Præses; & tandem in toto Mediolani Dominio Magnus Cancellarius; Obiit Mediolani anno 1591. ætatis suæ 81. Sepultus in Sacra Divi Pauli Virginum Æde. *Land. lib. 5. pag.* 201. laudatur a *Campo*. Anno 1555. Carolus V. Philippo Filio omnia Jura cessit Regnorum Hispaniæ, & Mediolani Dominii, ac Dependentium ab Aragoniæ Regno.

1557 Ludovicus Mazenta Mediol. J. C., & Senator. Adsunt adhuc ejus
1558 gentilitia insignia, depicta super janua Prætorii, tendente ad viam, ut dicitur, S. Marthæ, novis coloribus refecta anno 1727. ab Amplissimo Patre Senatore Prætore Don Antonio Stoppano, accurato, & studiosissimo antiquitatis, & eruditionis instauratore. Anno 1558. piè moritur Carolus V. in Monasterio S. Justi, Monachorum S. Hieronymi in Extremadura die 21. Septembris. Die verò 13. Februarii Bruxellę Joannes Baptista Schitius, Patritius Cremonensis, Mediolani Senator, ac in Belgio Regens excessit è vivis. Hoc eodem anno die 2. Martii a Decio Alberio, D. Card. de Cesis Epis. Cremonæ Vicario Generali, erigitur Confraternitas Ecclesiasticorum, & Sæcularium,

Nobi-

Nobilium, & Ignobilium, quæ ad colligendos, & ſuſtentandos Pueros, & Puellas Orphanos incumbat, quorum ſpirituali regimini Sacerdotes Congregationis Somaſchæ præficiuntur. *Ex literis ſuperindè expeditis.*

1559 Julius Clarus Alexandrinus J. C. Senator, apud Regem in Hiſpa-
1560 nia Conſiliarius accerſitus. *Cavitel.* Maxima penuria Frumenti, primo ſui regiminis anno, Plebi periclitanti non deſiit. Hoc pariter anno Academia Animoſorum Cremonæ inſtituitur, ut Nobiles in literis, & literæ in Nobilitate florerent, ſub tutela Divi Euſebii Abbatis Cremonenſis. Sunt notiſſima opera edita celeberrimi hujus Prætoris, & non una tantum vice, ac pluribus in locis excuſſa in unum volumen habentur. *Totum Opus Sententiarum, receptarum in libris ſeptem, eſt diviſum, in primo de Legibus, Conſtitutionibus, & Statutis, in ſecundo de Jure Perſonarum, in quo non ſolùm de ipſo ſtatu hominum, ſed etiam de ſingulorum Officiis, & Dignitatibus; In tertio de Ultimis Voluntatibus; in quarto de Contractibus, & Fœudis, Inveſtitionibus, & Emphiteuſi, in quinto Practica Criminalis; in ſexto Practica Civilis, in ſeptimo Index Generalis continens materias ſupradictorum librorum, & cum animadverſione Manfredi Goveani Francofurti* 1613. Idem Clarus recipitur inter Cives Cremonenſes, ut ex diplomate diei 2. Decembris 1561. in *ſecundo Tomo Crem. Lit. exſcripto.*

1561 Hieronymus Montius J. C. Mediolanenſis, & Senator, Princivallis
1562 pariter Senatoris Pater, ac Cæſaris S. R. E. Card., & Archiepiſ. Mediol. Avvs. Anno 1561. Romæ occubuit die 17. Novembris Noſter Gabriel Faernus Latinis Literis, & Poeticis conſpicuus, ex Familiaribus S. P. Pii IV., & ex Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodibus. *Cavitel.*

1563 Joannes Thomas Odeſcalchus Novocomenſis J. C., & Senator; cum
1564 hic regeret Præturam anno 1564., ex Catharina Milia Conjuge, natus eſt Petrus Georgius Odeſcalchus die 5. Auguſti in Civitate Cremonæ, *ut Joannes Baptiſta Sala, Canonicus Comenſis, & Joannes Maria Ferraria, Canonicus Viglebanenſis*, de ejus vita Scriptores, typis per ambos tradita, confirmant. Fuit Epiſcopus Alexandriæ, inde Viglebani, Vitæ Sanctimonia perſpicuus, de quo plura egimus in *Tomo II. Crem. Liter. pag.* 392., *& ſeq;* Idem Thomas die 20. Decembris 1565. omnium Nob. Decurionum aſſenſu inter noſtros Cives cooptatur. Anno 1563. die 4. Januarii Paulus Ala, Patritius Cremonenſis, ſubtiliſſimus Legum Interpres, ex Senatoribus Mediolani obiit, cui ſufficitur a Philippo II. Hiſpaniarum Rege Sigiſmundus Picenardus in eodem Senatu, & jure quidem merito, cum eſſet J. C. illius tempeſtatis longe celeberrimus: Hoc pariter anno Rodulphus Archidux Auſtriæ, poſtmodum Romanorum Rex, Herneſtus Frater, Maximiliani Cæſaris ſoboles, Patriam noſtram, eorum adventu decorarunt, Principes a noſtris innumeris

numeris lætitiæ indiciis excepti. Anno eodem Daniel Barbovius Cremonensis Patritius, Theologus doctissimus, ex Ordine Prædicatorum a Pio IV. Sanctissimo, inter Pontifices Maximos, conceditur Ecclesiæ Petinensi in Istria Episcopus, auspice Ferdinando Romanorum Imperatore, cui gratissimus erat. *Plod. de Vir. Ill. Ord. Præd.* Anno insequenti 1564. alter Cremonensis, ex eodem Ordine, scilicet Hieronymus Policius summus Theol., & Magister in Romana Sapientia, ab eodem Pio IV. Episcopus Trivicanus in Apulia deputatur, *a P. Cavalerio in Cathal. Episcoporum*, Italicè vocatur Politi, quando dicendus est Polizio.

Anno 1564. Nicolaus Sfondratus Episc. Confraternitatem, seu Societatem Operariorum Doctrinæ Christianæ, juxta præscriptum Sac. Conc. Trident., canonicè erexit, eamque per Urbem propagandi, & ampliandi egregium facinus zelo Sacerdotum Congregationis Somaschæ commisit, eorumque humeris onus imposuit. Itaque die 25. Junii, electis in Priorem Generalem P. D. Marco Pezzali, in Confessarium P. D. Nicolao a Vicentia, & in Coadjutores P. D. Joanne Scoto, & Presb. Hippolito de Laude, aliisque piis Viris in Operarios conscriptis, in Ædibus SS. Vitalis, & Geroldi, prima eorum Congregatio habita fuit die 2. Julii, in qua primó decretum est, ut in Ecclesia S. Bassiani sacrum Magisterium collocaretur, quod subindè studio, & opera ejusdem Marci Prioris ad alias Ecclesias dilatatum est. Usque ad an. 1568. Prioris Generalis munus sustinuit P. D. Marcus, & divinum planè Institutum per totam Urbem, & Diœcesim propagavit, & stabilivit, itaut succrescentibus in dies Operariis, cum iis convocandis Ædium SS. Vitalis, & Geroldi angustia obsisteret, in locum Capituli Monasterii S. Dominici se receperunt an. 1572. die 26. Dec. ubi Congregationis negotia, & Officialium electiones egerunt, donec aquisita, per liberam Francisci Zanchi Parochi resignationem, vacante S. Christophori Ecclesia, in ejusque possessionem a Nicolao Episc. die 11. Sept. 1577. immissi, eaque, una cum annexa ædicula, ad usum accommodata, & Animarum cura aliis Ecclesiis assignata, ibi primò die 27. Dec. 1578. sese collegerunt. Venerabilis hodie P. D. Jo: Scotus Somasch. usque ad extremam suæ vitæ metam, a Deo an. 1587. Ipsi indictam, etiam in repetita Præpositi in suo Ordine Generalis dignitate constitutus, constanter operatus est, Congregationibus omnibus interfuit, & vel Confessarii Generalis, vel Disquisitoris, vel Visitatoris, & semper Coadjutoris munus exercuit. Ecclesia S. Christophori, in elegantiorem speciem a Confratribus immutata, una cum aliis Ædificiis adjectis, piissimæ Congregationis, a Summis Pontificibus Privilegiis, & a Benefactoribus Redditibus locupletatæ, sacra ministeria exercendi, opportunitatem adhuc subministrat. Hæc omnia a primo Fundationis Libro fideliter extracta sunt, ex quo clarè

clarè constat Raynaldum Lantium, & Franciscum de Villanova, utrumque Mediolanensem, non fuisse hujusce Societatis Fundatores, ut legitur in Elogio inscripto sub eorum Imagine an. *1653.*, exposita in Choro Ecclesiæ S. Christophori: Esto antè Fundationem Cremonam advenerint, & per vicos, & per plateas, & per Ecclesias, Doctrinam Christi docuerint, & ad id facultatem obtinuerint a Reverendiss. Fabritio Alligeri Vic. Gen. an. 1547. Constat enim ex dicto Libro Scholas Doctrinæ Christianæ plantatas fuisse in Ecclesiis Civitatis, sub regimine præfati P. D. Marci Pezzali Prioris generalis, cujus jussu idem Raynaldus Lantius; appellatus unus ex Fratribus Confraternitatis Mediolanensis, Scholam introduxit in Ecclesiam S. Luciæ die 21. Julii 15*66*. Hæc omnia, & alia, quæ ad gloriam inclytæ Congregationis Somaschensis inspiciet Lector, habui a doctissimo Viro P. D. Ignatio Tadisi, modò Orphanotrophii Rectore vigilantissimo. Undè si non omnimodè concordant ea, quæ dixi in *Tom. II. meæ Crem. Lit. pag.* 205. *ad an.* 1547. id Elogio, ibi impresso, & hic enunciato, cui innixus fui, tribuendum est. Ex eadem Congregatione, præ cæteris modò eminent in literis duo Cives nostri insignes PP. DD. Franc. Maria Manaria, & Augustinus Maria Sonsis, Coloniæ Arcadum Cremonensis jurequidem meritò adscripti, cui pariter adjecti efflorescunt prædicti P. Sonsis Fratres, Joannes egregius Med. & Philos. Doctor, ac Franciscus Ecclesiasticæ disciplinæ addictus, ambo humaniorum literarum, & Musarum cultores optimi.

15*65* Idem Joannes Thomas Odescalcus. Hoc anno Societas Virginum Oblatarum, in perpetua castitate domi suæ viventium, sub invocatione S. Ursulæ, & sub directione Sacerdotum Congregationis Somaschæ Institutorum, in Ecclesia SS. Vitalis, & Geroldi ortum habuit, occasum veró anno 16*94*. In hac societate floruere plures Virgines pietate conspicuæ, inter quas Ven. Magdalena Guerrini, de qua ad an. 1617. annorum spatio 34. Priorissa: Barbara ejus Soror, cujus vitæ, & mortis compendium extat manuscriptum: Et quædam nomine Elisabetha, cujus vitæ specimen legitur impressum Brixiæ an. 1605. in fine Regulæ Societatis, & ibidem 1624. inter Venerabiles *a Pelegrino Merula* recensitos.

15*66* Camillus Porrus J. C. Mediolanensis, & Senator; *Cavitel.* Die Sab-
15*67* bathi 13. mensis Decembris 15*67*. a Nob. Decurionibus coram Aloysio Palatio J. C. Senatore, ejusdem Sindicatore Civis Cremonensis effectus est. Diploma a me recensetur in *Tomo II. Crem. Lit. pag.* 309., Anno 15*66*. in Suburbana Statione Templum Sanctis Apostolis dicatum, concessum fuit, una cum Cœnobio Religiosis Strictioris Observantiæ S. P. Francisci, Capuccinis vulgariter nuncupatis. Hoc etiam anno, die 17. Septembris in suo Albensi Episcopio moritur laudatissimus noster M. Hieronymus Vida, ætatis annorum nonaginta sex, & sepelitur in sua Cathedrali. Anno 15*67*. prima jecere fundamenta nobilis Confraternitatis,

ternitatis, quæ circa Reos morte damnatos, omnia pietatis, & misericordiæ officia exerceret, Sacerdotes Congregationis Somaschæ, & præsertim P. D. Jacobus Maria Stazzanus Januensis; Viros enim Nobiles suaserunt, ut hoc pium munus assumerent, & Divinæ Majestati tam gratum Institutum amplecterentur, quibus & Vestes albas, & titulum Confraternitatis S. Mariæ Misericordiæ assignarunt. Hæc a Pontificibus, & Principibus novis indultis, & privilegiis cumulata, etiam a Philippo IV. Hispaniarum Rege facultatem (adhuc vigentem) obtinuit an. 1627. liberandi singulis annis duos Reos, alterum morte, alterum triremibus, vel mitiore pœna damnatos. Leges suo Instituto accommodatas sibi indixit, & impressit Cremonæ typis Christophori Draconii anni 1599. Elegantis structuræ Templum D. Hieronymo dicatum, in quo perpetua pro Damnatorum Animabus D. O. M. offert suffragia, cœpit ædificari an. 1616. & a prima Institutione, usque ad an. 1619. Sacerdotum Congregationis Somaschæ directionem admisit. Hac etiam ætate ab iisdem Somaschensibus Sacerdotibus in Urbem nostram introducta fuit illa Sacra Solemnitas, per multas Ecclesias, ad eorum imitationem jam propagata, exponendi publicæ adorationi Ven. Sacramentum, Bacchanaliorum diebus, orandique &c. ut moris est.

1568 Antonius Londonius J. C. Hispanus Senator. Hoc eodem anno Princeps præfuit Magistratui Ordinariorum Reddituum totius Mediolani Dominii, & eidem substituitur

1569 Ferdinandus Hortitius, sive Ortix Hispanus J. C. Senator pro biennii adimplemento ipsius Londonii. Maxima per eos dies annonæ caritas, unde miseriarum omnium theatrum Urbs nostra efficitur. Hoc anno Nosocomium Divo Alexio dicatum erigitur, in quo permulti Pauperes insanabili morbo conflictati, tum etiam Pueri derelicti, & morbosi Senes asservantur. Hoc eodem anno S. P. Pius V. ad petitionem Nicolai Sfondrati Epis. & Presbiterorum Congregationis Somaschæ, necnon Collegii Orphanorum, Ecclesiam SS. Vitalis, & Geroldi, cum annexis Domibus, omnibusque suis juribus, & pertinentiis, necnon Orphanorum curam, Somaschensi Congregationi perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, Bulla sua data sub die 5. Aprilis.

1570 Camillus Castillionæus J. C. Mediolanensis, & Senator, dignis lau-
1571 dibus effertur a *Francis. Zava in lib. 2. suorum Carminum*, ubi, ad Camillum Castillionæum Cremonæ Prætorem, in Frumenti curatione. 1570. Die 25. Aprilis, Mortalitatem explevit Comes Brocardus Persicus, Cremonensis Patritius, Eques Hierosolymitanus, ex intimis Consiliariis Philippi II. Hispaniarum Regis, Siciliæ Pro-Rex, clarus apud Summos Pontifices legationibus, Cassani Feudo investitus, aliisque titulis præinsignis. 1571. Iterum Rodulphus, & Hernestus Austriaci Cremonæ die 7. Augusti.

1572

1572 Franciscus Rinconus, sive Rincón Hispanus J. C., & Senator, ali-
1573 quando Civibus infensus, ut ex *reg. Arch.* 1572. die *6.* Augusti moritur Parthenia Gallarata Augustini Patritii Cremonensis piissimi Filia, Matrona selectissima, latinis, græcisve literis adeò erudita, ut noster *Vida* ab ea non dedignaretur Consilia sumere in re literaria; erat Uxor Joannis Baptistæ Maynoldi J. C. & Viri Patritii; quales Filios habuerit, videbimus infra: Eodem anno sub hoc Prætore promulgatur pragmatica, circa Vestes, Convivia, & Funera in Urbe Cremonæ, eam approbante Senatu Excellentissimo Mediolani; quare abierit in desuetudinem, ignoratur; Oh utinam reviviscerct nostris temporibus!

1574 Marcus Antonius Aresius J. C. Mediolanensis, & Senator, cujus
1575 Epitaphium refert *Landus de Sen. lib.* 5. *pag.* 187. in Sacra S. Victoris ad Ulmum Mediol. Genitor fuit Pauli ex Cler. Regul. Theatinis, facundissimi Oratoris, & multorum Operum Scriptoris, Episcopi Derthonæ, Cremonæ nati, ut indigitat Pater Paulus Sfondratus Clericus Regularis in Vita ejusdem Pauli Aresii, præmissa libro, cui titulus; *Velicationes in Apocalypsim Mediolani* 1647., ubi hæc leguntur. *Lucem Mundo daturus, noster in lucem editus est Cremonæ, cum ibi Pater Prætoriam sustineret dignitatem, Viro nomen fuit Marcus Antonius, ex Nob. Aresiorum Familia, Mater Hipolita Clara;* laudatur M. Ant. a *Francisco Zava in suis carm. lib.* 4. *pag.* 198. Anno 1574. die 8. Augusti Henricus Galliæ, & Sarmatiæ Rex, eum Comitantibus, inter cæteros Magnates, Emanuele Sabaudiæ, Hercule Ferrariæ, & Ludovico Gonzaga Niversii Ducibus, regali navigio per Flumen Padi Ferraria profectus, ne nimio caloris æstivi, & pulveris incommodo fatigaretur, inverso cursu Cremonam appulit, Taurinum iturus, ac rediturus in Galliam, *Camp.* & *Cavitel.* & 1575. Paulus Fossa Patritius Cremon. Præror Mediolani, dein Præfectus Rerum Capitalium in universo Mediolani Dominio, ut ibi ajunt Capitaneus Justitiæ, denascitur; Vir erat in Jurisprudentia peritissimus. Mense Junii ejusdem anni Carolus Borromæus S. R. E. Card., Mediolani Archiepiscopus, modò relatus in Albo Sanctorum, Ecclesiam Cremonensem invisit, pleraque ibi ejus Sanctimoniæ specimina ostendens. Hoc eodem anno Ven. P. Jo: Scotus, Præpositus Generalis Congregationis Somaschæ, Vir sanè apostolicus, hac in Urbe indefessus in vinea Domini Operarius, Ecclesiam SS. Vitalis, & Geroldi restauravit, & ad elegantiorem structuram redegit, teste Inscriptione in pariete Chori, forinsecus exarata.

1576 Camillus Porrus iterum Prætor, qui a Rege vocatus ad Præfecturam Magistratus Ordinariorum Reddituum, Prætura abscessit, eidemque subivit.

1577 Camillus Cattaneus Valianus J. C. Mediolanensis, & ex Auditore Generali Exercitus delectus Senator, qui anno 1578. nocte præcedente

diem

diem Martis decimam ſeptimam Februarii, vix ſecundo Præturæ ſuæ anno incepto obiit, ejus Epitaphium Patri ſuo, etiam poſitum recenſetur *lib. 6. pag.* 207. *a Lando*; ſubſtituitur Valiano

1578 Alexander Panigarola J. C. Mediolanenſis, & Senator, Frater Franciſci illius celeberrimi, etiam apud Summos Pontifices Sacri Oratoris, ex Ordine Minorum, Epiſcopi Aſtenſis.

1579 Idem Alexander Panigarola, Anno 1579. Petrus Martyr Ponzonus

1580 J. C. Patritius Cremonenſis, ex Queſtoribus Magiſtratus Ordinariorum Redditᴜum ad Senatoriam Sedem, mandante Hiſpaniarum Monarcha evehitur, Thiara tandem Novarienſi Coronatur, licet ad majora eligendus eſſet. Hiſce etiam diebus ædes, quas Humiliati ſuppreſſi inhabitabant, ad Sancti Abundii Nob., & Doctiſſimis Clericis Regularibus Theatinis, poſtulante Nicolao Sfondrato Urbis Antiſtite conceduntur. *Siloſ. Hiſt. lib.* 14. *tit.* 1. *pag.* 585. Anno 1580. Idem Epiſcopus Synodum Provincialem primam celebravit, diebus 10. 11. & 12. Auguſti; Secundam veró diebus 1. 2. & 3. Octobris 1583., ut ex *Breſſiano in Hiſtoria Eccleſiaſtica*.

1581 Alphonſus Lopez Hiſpanus J. C. & Senator, uſque ad diem 23. Martii anni 1582. Prætor, quo viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt. Joannes Franciſcus Bonhomius, Patritius Cremonenſis, Epiſcopus Vercellenſis a Summo Pontifice, ad Rodulphum Cæſarem Legatus, eo tempore, quo prælibatus Imperator habuit Comitia Auguſtæ Vindelicorum. Hujus pariter anni die 29. Martii eligitur Reg. Senator Ludovicus de Aymis, alter ex noſtris Patritiis.

1582 Galeacius Brugora J. C. Mediolanenſis, & Senator, Præturam ex

1583 morte Lopez, ejus adventu recreat. Laudatur Brugora in Carminibus editis *Franciſci Zavæ Oratoris, & Poetæ Cremonenſis*. Die 17. Decembris 1583. a Gregorio XIII. S. P. Nicolaus Sfondratus Epiſcopus, & Patritius noſter S. R. E. Card. creatur, titulo S. Cæciliæ decoratus, Summus inde Pontifex, ut videbimus. Die ultima Septembris hujus anni in Civitate Albæ, ubi Uxorem duxerat, pie quievit in Domino Bartholomæus Scalvus, Patritius Cremonenſis, librorum editione clarus, & præcipuè ad componendum mores, & dirigendas animas in Via Spirituali, propè accedens ad Sacrorum Oratorum Opera, fuit in Patria Ordinum Conſervator. Hoc eodem anno S. P. Gregor. XIII. Sacerdotibus Congregationis Somaſchæ, in præmium eorum ſedulæ in promovendo divino cultu, procuranda Animarum ſalute, & quibuslibet miſericordiæ, & pietatis operibus exercendis, diligentiæ, Eccleſiam etiam Præpoſituralem, & Parochialem S. Luciæ, per liberam reſignationem Chriſtophori Brumani Præpoſiti, vacantem, perpetuò concedit, & aſſignat. Ex Bulla ſua ſub die 7. Julii.

1584 Joannes Antonius Odeſcalchus J. C. Novocomenſis, & Senator. *Landus*

1585 *dus in Senatu Mediolani lib.* 5. *pag.* 201. refert ejus Eulogium in Divi Barnabæ Mediolani Templo, ubi maximus irrepsit error Typographi circa Patriam, hic enim vocatur Cremonensis, & non Comensis; Anno 1584 Joannes Botta J. C. Colleg. Cremonæ, & Decurio anno 1560. Ascanii Filius, olim in Patria Prætoris, ut vidimus, edidit suorum Consiliorum volumen *Venetiis apud Zilettum*: Erat quippe Botta Juris Peritus undequaque eminens, cujus responsa pro Oraculo recipiebantur. Anno nempe 1562. Praeturam Ticinensem rexit, aliisque publicis muniis clarissimus. Anno 1585. Cæsar Specianus, memorati Joannis Baptistæ Filius, Patritius Cremonensis, Novariensi Infulæ a Gregorio XIII. S. P. designatur, postmodum Patriæ datus, ut inferiori loco dicemus.

1586 Aloysius Mesa Cortesius Hispanus J. C. & Senator, cujus libet
1587 exscribere titulum ejus Sepulcralem, in quo fit mentio de, per eum gesta Cremonensi Prætura, in Templo Ticinensi Divi Augustini, relatum a *Lando lib.* 5. *pag.* 202. *Aloysius Mesa Cortesius Hispanus Vir præstantissimus, ac celeberrimus, qui post varios dignitatum gradus assecutos, ob Vitæ integritatem, usumque rerum in Amplissimum Senatus Mediolani Ordinem cooptatus, dum post gestam summo cum honore Cremonensem, Ticinensemque Præturam ad alias majores gubernandas Provincias desideraretur, in ipso ætatis suæ flore, naturæ concessit. Pridie Idus Maii anno* 1590. *ad Familiæ suæ memoriam fieri jussit*. Anno 1586. Sigismundus Fossa J. C. Colleg. Patritius Cremonensis, Gasparis J. C. Filius, vita functo memorato Ludovico Aymo Senatore, per Regem Philippum Secundum ad Senatoriam Cathedram promotus effloruit, ad quatuor tantum annos, de quo nos plura in *Tomo II. Crem. Lit. pag.* 400. Anno 1587. a Nob. Regentibus Sodalitatis Charitatis, ut ajunt S. Vincentii Cremonæ, inchoatus est Pius Locus, nuncupatus, vernaculo idiomate, *il Soccorso*, ad utique succurrendum Virginibus, quibus pudor facilimè subtrahi posset, sub S. Archangeli Raphaelis tutela, cui Parthenotrophio plurimam detulit opem Nicolaus Sfondratus, sæpissime, sed nunquam satis laudatus. Sub eodem Prætore 1586. Hieronymus Bernerius, Sacri Ordinis Prædicatorum, Episcopus Asculanus, Patritius Corrigiensis, ob animi sui humanitatem, qua semper Cremonenses prædilexit, [præcipuè verò in Alma Urbe, excipiendo Oratores a Patria missos ad S. P. Gregorium XIV. fuit in Patriæ Concivem receptus die 18. Decembris, ut ex Decreto Generalis Consilii a nobis relato in *Tomo II. Crem. Lit. pag.* 399.

1588 Hieronymus Gherardus J. C. Ticinensis, Senator, ex Sindicatore
1589 ejusdem Aloysii, ut ex *reg. Arch.* electus fuit Prætor anno 1588. Cæsar Cavitellus Patritius Cremonensis Nepos Ludovici, hic frequentissimè allegati, edidit apud Christophorum Draconium Typographum Cremonensem, Annales, quibus res ubique gestas memorabiles, a Patriæ suæ origine ad annum Salutis 1583. recenset.

1590 Didacus Salazzar Hispanus J. C. Senator, a die 4. Januarii, usque ad diem 23. Junii rexit Præturam, quo tempore ad Aulam Regiam Matriti, Regentis titulo avocatur; & interim eligitur Joannes Baptista Capra, inferius memorandus, ut dicunt, literæ Excellentiss. Don Caroli de Aragonia Ducis Terræ Novæ, Gubernatoris Mediolani Dominii, ut in Archivo. Laudatur Didacus a Joanne Sertorio in suis Carminibus penes me. Ludovicus Maggius, sive Madius Patritius Cremonensis ad Senatoriam Sedem deputatur.

Joannes Baptista Capra J. C. & Senator; Explevit tantum hunc annum 1590. In Phano S. Petri in Gessate Mediolani, legitur ejus Epitaphium. Die 5. Decembris Nicolaus Sfondratus Patriæ Episcopus, & S. R. E. Cardinalis ad Summi Pontificatus Apicem evectus; die octava ejusdem mensis in Vaticano coronatus est, nomine Gregorii Decimi Quarti assumpto; plurimi festivi ignes, plurimi lœtitiæ plausus in Patria.

1591 Hieronymus Magnacaballus Novocomensis J. C. Senator; Die 24.
1592 Aprilis 1591. possessionem Præturæ indeptus est, quo anno suffectus est in Biennium Capræ demortui; Anno verò 1593. ob adversam valetudinem coactus, ministerium anni sequentis 1593. dimittere; nam die 18. Augusti illius anni electus fuit Prætor Marius Conradus, pro complemento Magnacaballi, & pro subsequenti biennio, ut ex *reg. Arch.* Anno 1591. die 15. Octobris non absque maxima Cremonensium jactura ad Superos evolavit Gregorius XIV. S. P. non adhuc anno ejus Pontificatus expleto, attamen nonnullorum Civium suorum intuens merita, amore eos prosequutus est. Præter Paulum Æmilium Nepotem trabea Purpurea præcinctum, ad Archiepiscopatum Ragusii promovit Aurelium Novarinum, Theologum Ordinis Minorum Convent. Comitem Petrum Martyrem Ponzonum ad Episcopatum Novariensem, delata Cæsari Speciano Cremonensi Ecclesia, quam ipse annos ferme triginta rexerat, Marcum Antonium Salomonium ad Soranum, Antonium Mariam Caballum ad Cerviensem, Joannem Antonium Honoratum ad Interamnensem, Marcum Antonium Amidanum ad Melphiensem, Vincentium Calcium, seu Bonettum Ord. Præd. ad Venusinum. Die 18. Decembris ejusdem anni 1591. Hieronymus Bernerius Ord. Præd. S. R. E. Card. doctrina, & pietate insignis, grati animi causa, inter nostros Cives relatus est. Anno 1592. Collegium Clericorum Seminarii in Ædibus Divæ Margaritæ construitur a Cæsare Speciano Episcopo. Romanus Burgus Nob. Cremonen. Congregationis Doctrinæ Christianæ Protector, in grati animi monumentum erga B. Geroldum Mart. qui unicum ejus filium a morte ad vitam (ut ipse asserit) revocaverat, seque pristinæ valetudini restituerat, ejusdem Beati Vitam, ex Lectionibus, & Hymnis, in ejus Officio antiquitus legi solitis, extra-

ctum, ad instantiam Sacerdorum Congregationi Somaschæ, prælo Cremonensi Christophori Draconii subjicit.

1593 Marius Conradus J.C. Laudensis Senator. Anno 1593. floruit Ro-
1594 mæ Sigismundus Brumanus Archiater Pontificius, seu Prothophysicus
1595 Generalis totius Status Ecclesiastici, Patritius Cremonensis, ex Collegio Physicorum Patriæ. Obtinuit a S. P. Clemente VIII. privilegium, ut Physici Collegiati Cremonæ insigniti, perpetuo essent titulo Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comitum, necnon Auratæ Militiæ Equitum, datum die 29. Novembris 1593., quod nos ad literam ab Archetypo exscripsimus in *Tomo II. Crem. Lit. pag.* 430. & 431. Hoc identidem anno Patres Carmelitæ habuerunt Cremonæ eorum generalia Comitia, tunc Præside, & Vicario generali Apostolico Jo: Stephano Chizzola a Riparolio, Diœcesis Cremonensis, Viro in literis eminentissimo.

1596 Franciscus Glussianus J. C. Mediolanensis, & Senator. Anno 1596.

1597 Raphael Stanga ex Nobili Cremonensi Stirpe natus, inter Capuccinos Evangelicus Orator celeberrimus, in Comitiis Lugdunensis Provinciæ Primarius Minister eligitur, & Sanctimoniæ fama desiit esse mortalis. *P. Boverius in Annal. Capuc. tom. 2. part. 2. pag.* 87.

1598 Joannes Martinez de Verastigui Hispanus, J. C. Senator. Anno 1598.

1599 die 26. Novembris Margarita Austriaca, Philippi Tertii Sponsa, e Germania procedens in Hispaniam, Urbem nostram ingreditur, cum ejus Matre Serenissima, ac insigni Principum, & Nobilium Comitiva, cujus adventum præcesserat Cardinalis Aldrobandinus, Clementis VIII. S. P. Nepos; Solemnissima pompa excipitur, eidem præstito Regali hospitio in Palatio Marchionis Affaitati. Per hos dies Patres Sapientissimæ Societatis Jesu Cremonæ suscepti, pluribus eisdem domibus assignatis, pro ampliatione Collegii, *ut Pellegrinus Merula in Sanctuario Cremonæ, ubi de Sanctis Petro, & Marcellino, & in nostro II. Tomo Crem. Lit., ubi de Margarita a Turre.* Anno 1599. Papirius Cattaneus, ex insignioribus Advocatis Cremonensibus ad Senatorium Fastigium evehitur.

1600 Georgius Ripa J. C. Papiensis, & Senator, qui valetudinarius, permittente Excellentissimo Mediolani Dominii Moderatore, dimisit Præturam die 24. Decembris ejusdem anni, habita ipsius Concione in generali Consilio Nob. Decurionum Cremonæ, qui ob tanti Senatoris merita in Civem Cremonensem eum receperunt, ex *reg. Arch. ejusdem anni*; lubet hic apponere Epitaphium ejus Sepulchri in Divi Augustini Æde Ticini; cum in eo fiat mentio de ejus Prætura, ac tanti Viri eximiæ dotes recenseantur.

Georgio Ripæ Sen. Regio.

Qui varia idiomatum, ac literarum peritia
Eminentissimus, annos 36. in Patrio Ticinensi.

Gyn-

Gymnasio, & legum nodos exsolvit; Cremonæ
Præturam integerrimè gessit; Annoque ætatis suæ 66., Salutis verò 1604. VI. Kalendas Octobris obiit.
Gulielmus Frater B. M. ex triente H. Pietatis ergo. Posuit.

1601 Marius Conradus, qui supra. Anno 1602. die 5. Julii, Sodalitas
1602 sub titulo Sacrorum Stigmatum S. P. Francisci, auctore Ven. F. Bartholomæo a Saluthio, Ordinis Minorum, Cremonæ instituitur, propè Ædes Sancti Angeli Patrum Minorum, Observantiæ, Cæsaris Speciani Episcopi sub auspiciis, ac primariæ Urbis Nobilitatis flore, una cum ipso Præsule in ea descripto. Hoc eodem anno die 4. Junii piissimè obiit in Vico Somaschæ, Agri Bergomensis, mortis suæ tempore pluries prænuntiato, Ven. P. D. Evangelista Dorati, Virginitate illustris, Flagellum Dæmonum appellatus, ortus in Pago Platinæ Territ. Cremonen. anno 1539. Qui jam Sacerdos, & Seminarii Cremonen. Rector, ubi ejus devota effigies, ad tam piissimi Viri claram memoriam adhuc asservatur, a piis operibus Presbiterorum Congregationis Somaschæ attractus, & illectus, eorum Institutum (non sinè dolore, ob tanti Viri a se summoperè amati amissionem, Nicolai Sfondrati Episc.) amplexus fuerat anno 1582. Ob insignia ejus merita, necnon eximiæ probitatis specimina, in præcipuis Italiæ Urbibus exhibita, & præsertim Romæ in Aula Pontificia, ubi ab oblata Purpura a Gregorio XIV. humilimè sese retraxit, Eum invitum in Præpositum Generalem totius Congregationis, indicto obedientiæ præcepto, Derthonensia Comitia elegere anno 1593. Ossa ejus, & cineres post aliquot annos jussu Serenissimæ Venetæ Reip., ob relictam Sanctitatis opinionem, sigillo S. Marci munita, apud Reliquias V. P. Hieronymi Emiliani Fundatoris collocata fuerunt.

1603 Idem Conradus, qui tanquam Pro-Prætor in offitio permansit, usque ad diem 3. Novembris illius anni, ex *reg. Arch.* Mense Januario Religiosis Sancti Joannis de Deo, conceditur Cremonæ Diversorium pro Infirmis, erigendum in Ædibus Divæ Mariæ Coronatæ.

1604 Emanuel Puteus *Sessa* J. C. Hispanus, & Senator, qui fuit Sindica-
1605 tor Conradi, exinde Prætor subsequenti Biennio. Anno 1604. Jacobus Maynoldus, Patritius Cremonensis, & Senator a Philippo III. Hispaniarum Rege, Præses Excellentissimi Senatus Mediolani præstituitur.

1606 Ludovicus Acerbus J. C. Derthonensis, & Senator. Patres Carme-
1607 litæ Excalceati, auspiciis, & liberalitate Familiæ Vidonæ Cremonam, annuente decreto generalis Consiliis Civitatis, adveniunt, constructo ibi postmodum amplo Cœnobio. 1607. Trussus de Trussis J. C. perquam egregie approbatus, è Castroleone Cremonensi, Senator electus est.

1608 Hieronymus Callente J.C. Hispanus, ex Auditore Generali Exerci-
1609 tus, Senator. Anno 1608. Ludovicus Ripa, Thomæ Filius, Cremon. Patr. a Paulo V. S. P. Episcopus Interamnensis efficitur; Idem Callente, in Sacra Divi Francisci Æde Mediolani tumulatur cum elogio, in quo etiam ejus Uxor memoratur.
1610 Joannes Hurtadus de Mendoza Hispanus, qui anno sequenti 1611. Præses Magistratus Mediolanensis Extraordinariorum RedditUum electus, Prætoris ministerium dimisit. Hoc anno a Paulo V. S. P. eligitur Archiepiscopus Urbini Benedictus Ala, Patritius Cremonensis, qui prius Almæ Urbis Gubernator fuit, hic cum suis Fratribus Civitati Romanę donatus. Die 6. Maii Collegium Virginum nuncupatum, instituitur Cremonæ, sub auspiciis Pauli Æmilii Sfondrati S. R. E. C. Episcopi, qui hoc anno Jo: Baptistæ Brippio ejus Affini, Mediol. Patritio Episcopatum cessit; Ipsarum Spiritualis directio, data est Patribus Societatis Jesu, in quorum propinquum Templum se conferunt, ad Spiritualia peragenda, & non in aliud.
1611 Joannes Rodericus Salamanca Hispanus J. C. & Senator, exindè
1612 Magnus in tota Ditione Mediolanensi Cancellarius, die 19. Maii 1611.
1613 in Consilio Generali receptus, loco Amplissimi Hurtadi, sequenti Biennio confirmatur. Anno 1612. die 2. Junii per Breve Apostolicum Pauli V. S. P. conceditur Nob. Decurionibus Patriæ, constructio Oratorii in publico Civitatis Palatio, ad quotidianum Sacrum.
1614 Nicolaus Leizaldus Hispanus J. C. & Senator, deinceps Præses Ma-
1615 gistratus Extraordinariorum Redditum. Anno 1613. Archangelus de Rubeis, Patritius Cremonensis, ex Canonicis Regularibus Lateranensibus, qui ædidit opera in Quartum Sententiarum Librum, a Paulo V. Episcopus Caleni, vulgò Carinulæ renuntiatur. 1614. die 7. Junii; A Joanne Baptista Brippio Antistite nostro, Solemnissima pompa Corpora Sanctorum Urbis Tutelarium, post publicam, & majori, quo Civibus decuit, cultu per Urbem Supplicationem, reposita fuere in Arcis marmoreis elegantissimè elaboratis. Per hos dies idem Episcopus ab eodem S. P. deputatus, ex Brevi diei 11. Decembris 1713. ad preces Nob. Præsidum regimini Urbis nostræ, suspicientium in agris insolitam multorum annorum sterilitatem, Benedictione toti Territorio subvenit.
1616 Ludovicus Acerbus, qui supra. In Consilio Generali diei 13. Apri-
1617 lis 1616. receptus. Eodem mense Aprilis Comitia Generalia Patrum Heremitarum Sancti Augustini Congregationis Insubriæ, in Cœnobio Cremonensi celebrantur. In Comitiis veró generalibus Congregationis Somaschæ, post confectum generalis Procurationis quinquennium, electus fuit Præpositus generalis P. D. Alexander Bocculus Civis noster, qui ejusdem Congregationis Privilegiorum Compendium
 im-

impresſit Brixiæ, anno 1618. Die 22. Augusti PP. Minimis S. Franciſci de Paula reſignatur Eccleſia S. Arealdi, cum Ædibus annexis. Menſe Octobrio ejuſdem anni, Petrus Camporeus Cardinalis, in numero Civium Cremonenſium recipitur, & ibi lætitiæ ſigna publica, decretumque, ut ejus Familiæ inſignia depicta ſuper anteriori janua Palatii Civitatis, ea occaſione exponerentur. Anno 1617. die 20. Septembris ab hac vita ad Superos, ut pie creditur, evolavit octogenaria Ven. Magdalena Guerrini Cremonen., una cum PP. Somaſchenſibus, Cœnobii Virginum S. Barbaræ Fundatrix, cujus eximia probitatis geſta, ab eiſdem PP. ejus ab infantia, ad extremam fermè ſenectutem Confeſſariis conſcripta, & in unum Volumen collecta, aſſervantur ab ejus Filiabus, nunc in Monaſterio S. Barbaræ degentibus, huc ab Ædibus ſuæ fundationis, in quibus hodie commorantur Feminæ malè nuptæ, vulgó *Le Maddalene* translatis anno 1630.

1618 Matthias Cayraſcus Maldonatus J. C. Senator, Hiſpanus. An-
1619 no 1619. Sum. Pont. Paulus V. approbat, & confirmat, multiſque Indulgentiis locupletat, ſuo Diplomate die 19. Junii Confraternitatem, ſub Invocatione S. Angeli Cuſtodis, a Patribus Somaſchenſibus in Eccleſia S. Luciæ nuper inſtitutam.

1620 Valerius Conſalonerius J.C. Mediolani Senator. Anno 1620. floruit
1621 Joannes Paulus Nazarius, Patritius Cremonenſis, Ordinis Prædicatorum, Collegii Bononiæ, & ter in Academia Bononienſi Regens, qui edidit luculenta, & doctiſsima Commentaria, & Controverſias, hoc eodem anno in Primam Partem Summę Divi Thomę Aquinatis, aliaque doctiſſima opera evulgavit. Anno 1621. die 12. Januarii Deſiderius Scalea, Patrit. Cremon., Ordinis Prædicatorum, ex Commiſſario Generali S. Inquiſitionis in Alma Urbe, a Paulo V. S. R. E. C. creatur. Hinc Purpuratus Scalea ſe nuncupavit Cardinalem a Cremona. Eodem anno Octavianus Picenardus J. C. Cremonenſis, & Patritius, Nob. ſuæ Familiæ Senatoriam intulit dignitatem; Vir profectò integritate, & virtute incomparabilis, mox ad apicem Præſidis Senatus evectus. Petrus Cardin. Camporeus die 26. Novembris 1621. Cremonam conceſsit, hujus Epiſcopatus dignitate obtenta a Greg. XV. S. P.

1622 Paulus Bellonus J. C. Papienſis Senator, jam in Ticenenſi Gymnaſio
1623 primarius Legum Interpres, inclytæ facundiæ Orator, maxime in exequiis Philippi III. Mediolani habitis dignoſcitur; Item Auctor libri doctiſsimi, *cui Tit. de Poteſtate eorum, quæ incontinenti fiunt, vel ex intervallo, Typis Bidelli Mediolani* 1623. in quo laudat nonnullos Cremonenſes J. C. & nempe Petrum Barbovium, Franciſcum Cavutium, & Joannem Petrum Alam. Anno 1622. Lazarus Caraffinus, Patri. Cremon., ex Melphienſi Epiſcopo ab Urbano VIII. S. P. Eccleſiæ Novocomenſi præficitur, & anno 1623. Adeodatus Scalea, Nepos

Desiderii Cardinalis, Melphiensis Antistites deputatur, exinde anno 1643. Alexandriæ Præsul ab eodem Urbano: Eodem anno 1623. Horatius Maynoldus, Patritius Cremonensis Jacobi Præsidis Frater Laticlavia tunica exornatur. Anno verum subsequenti die 13. Novembris, cum esset Prætor Papiæ, naturæ concessit.

1624 Alexander Crassus J. C. Mediolanensis Senator. Anno 1624. Domus
1625 Lauretana in honorem Beatæ Virginis Mariæ, propè Ecclesiam Sancti Abbundii, auctore Petro Ala doctissimo J. C. Collegiato, & piissimo Patritio, juxta prototypum Laureti simile erigitur, Civium universo gaudio. Insuper cum approbatione, & diplomate sub die 27. Januarii Petri Camporei S. R. E. Card. Episc. instituitur a Clericis Reg. Somaschæ in Ecclesia S.Luciæ Confraternitas, sub denominatione B. M. V. de Auxilio ad Altare B. V. M. de Laureto.

1626 Paulus Rhaudensis J.C. Mediolanensis, & Senator. Hoc Biennio in
1627 Curia Prætoria aderat Judex Maleficiorum Julius Cæsar Calvinus, Patritius, & J. C. Derthonæ, celeberrimus ob ejus Tractatus editos de Æquitate in tribus Tomis distributos; *in secundo Tomo cap.* 179. *n.* 42. & 43. Se talem vocat, erat etiam Vicarius Prætorius memorati Pauli Belloni in Biennio 1622., & 1623. Anno 1626. die 19. Januari a S. P. Urbano VIII. Hieronymus Vidonus, Patritius Cremonensis ad Purpuram evehitur, non absque Patriæ plausibus, & publicis lœtitiæ signis, hinc inde datis. Itidem Episcopus Termulensis eligitur alter ex nostris Civibus Hieronymus Capellus, Sacræ Theologiæ Magister, ex Conventualibus S. P. Francisci.

1628 Gaspar Turrianus, seu della Turre Mediol. J.C. & Senator, multorum
1629 annorum Quæstor, Vir doctissimus a *Lando* appellatus lib. 6. pag. 223. Anno 1629. die nona Novembris; idem S. P. Urbanus VIII. S. R. E. C. associavit Cyriacum Roccium ex antiqua, & Nobili Cremonensi Familia, cum ipse Nuncius Apostolicus apud Ferdinandum Cæsarem esset, retenta tamen in pectore, ut ajunt, per Summum Pontificem promulgatione, usque ad diem 24. Novembris 1633. Anno 1628. Capitulum Generale Clericorum Regularium Congregationis Somaschæ, celebratum fuit in Collegio S. Luciæ, ubi ad Præposituram Generalem evectus fuit Ven. P. D. Petrus Porrus, jam a multis annis in Collegio S. Geroldi piis operibus solicitissimè addictus, ejusdemque Collegii Benefactor, & Ampliator.

1630 Antonius Gallia J. C. Alexandrinus, & Senator; Annus hic 1630.
1631 sevissimæ contagionis, ac flebilissimæ recordationis, quo Insigniores Italiæ Civitates, & Patria nostra præsertim tantæ punitionis horribile flagellum sunt passæ; hinc occubuere, consternati undique Nobiles Cives; perditis Affinibus, & Amicis, sequenti quoque anno, obsidente fame, quæ diram luem subsequitur, inopes plerique perierunt.

Patriam

Patriam verò aliquantulum recreat evectio ad Senatorium gradum Petri Pauli Flamenii, præclarissimi ex nostris Advocati, & ex Quæstoribus Magistratus Extraordinariorum Redditiuum, haud ignoti ob ejus opera legalia. Hic prætereundum non est anno 1630. edita fuisse Venetiis, typis Barezii, Cremon. libros doctissimæ æque, ac piissimæ Fœminæ Cremonensis Lucretiæ Vidalenghæ Campanæ, Virginis honestissimæ, in sex tomulis distinctos, quorum tit. Italicè *Corona misteriosa adorna di Meditazioni divotissime, con i suoi soliloquj, e frutti*, ediderat anno 1625. Papiæ per Jo: Baptistam Rossi. *I soliloquj delle Domeniche, e di tutto l'anno, e di alcune altre Feste*. Hæc omnia servantur in nostro museolo. Anno 1631. Jo: Baptista Bonettus, Patriæ Decurio, & pro ea Orator, ad Senatoriam sedem assumptus est, cum prius munere Capitanei Justitiæ Mediol. insignitus esset a Philippo IV. Hisp. Rege.

1632 Franciscus Puteobonellus J. C. Mediol. Senator, postmodum ab
1633 Rege Hispaniarum Matriti in Consiliarium accersitus, de quo *Land. lib. 6. pag.* 173. inquit. Germanica Legatione, ac summa in summis honoribus animi moderatione clarus. Anno præmisso 1633. mense Aprilis nostram Urbem invisurus, accessit Serenissimus Ferdinandus Austriacus S. R. E. Card. Infans nuncupatus, dum ex Philippi III. Hispaniarum Regis sui Genitoris jussu, regendi totius Mediolanensis Dominii habenas, munus susceperat, ibi a Nobilibus exceptus, ea veneratione, qua tantum Principem, tanti Patris Filium decebat; laudatur & jurequidem merito a *Land. lib. 6. pag.* 263. inter cetera. Annum amplius in hac Provincia exegit, cum summa morum innocentia, optimi Principis exemplo, quod mirere in regiæ fortunæ Adolescente, Optimatibus, Infimisque acceptus in Germaniam profectus, maxime ingens, sui desiderium omnibus reliquit &c.

1634 Hieronymus a Basilica Petri J.C. Mediol. & Senator, de quo idem
1635 *Land. lib. 6. pag.* 251. suæ ætatis Patronorum omnium disertissimorum præstantissimus, infinitas causas egit pari semper ingenio, & plausu, & in forensi strepitu ferme incanuit. Justitiæ Præfectus in eo munere, per aliquot annos magna cum integritates, & incorrupti animi fama se gessit, ab eodem *Lando* vocatur alter Sixtus V. in cohibendis Nebulonibus, & Sicariis. Anno 1635. Eminentissimus Cardinalis Camporeus Episcopus Cremonæ, habuit Synodum Diœcesanam, typis editam.

1636 Consalvus de Salamanca, Divi Jacobi Eques, Hispanus J. C.. Joan-
1637 nes Roderici Sen. de quo supra Filius, ex Auditore Generali Exercitus, Senator, qui sic a Lando laudatur. Magni Patris, magnus Filius, placidarum Musarum amicus, qui purissimè scribat, Plautinam Terentianam, & Ciceronianam facundiam exhibens. Anno 1636. Alphonsus Maynardus J. C. Collegiatus, & Patritius Cremonensis

ad emeritum Senatorium fastigium elatus est. Anno 1637. Joannis Pauli Melii J.C. Immortalis gloriæ Viri, Cremonensis Patritii Allegationum suarum primum volumen publici juris fit, ex typis Bononiensibus Clementis Ferronii, idque Patriæ suæ dicavit.

1638 Aloysius Belcredius J. C. Papiensis, & Senator, recipitur in Con-
1639 silio Generali Nobilium Decurionum 13. Februarii; summis laudibus attolitur a *Lando eodem lib. pag.* 240. Die 2. Februarii 1638. per idem Consilium Generale, ære publico funebres apparatus decernuntur in Divi Augustini Templo pro Comite Oliverio Schinchinello, Patritio Cremonensi, Equite S. Jacobi, Quæstore Ordinariorum Reddituum Mediolani, Defuncto, dum ipse esset Coloniæ, Potentissimi Regis nostri Legatus, pro Pace inter Principes Europæ concilianda.

1640 Franciscus Arguis J. C. Hispanus Senator, adversa valetudine, ac ingravescente ætate, tandem fatis concessit, ut ex *reg. Arch.* hoc eodem anno, cui sufficitur

1641 Matthæus Bimius J. C. Mediolanensis Senator, usque ad Kalendas Januarii 1642. Ita ex *reg. Arch.* ejus acceptatio de more, die 10. Januarii 1641. habita fuit.

1642 Alphonsus del Rio J. C. Hispanus, Senator, ex Sindicatore Præ-
1643 toris Bimii, ut ex *reg. Arch.* diei 6. Decembris 1641. electus fuit Prætor hoc Biennio. Die 4. Februarii 1643. hora quarta noctis obdormivit in Domino Eminentiss. Petrus Camporeus, Episcopus Cremonæ, omnium Civium lacrymis, humatus in sua Cathedrali. Eum P. Marcus Antonius Bossius, S. J. in funere egregia plane facundia laudavit. Typis edita legitur oratio, cum exequiis tanti Principis Purpurati.

1644 Joannes Guidobonus Cavalchinus J. C. Derthonensis, & Senator.
1645 Anno 1644. mense Maii ad Choros Angelicos evolavit Claudius Monteviridis Cremonensis, post Conjugium Sacerdos, in Venetiarum Divi Marci Basilica Musicorum Præfectus, fama super æthera notus. Iisdem mense, & anno Thomas Turcus, Civis noster, Ord. Præd. Phænix ingeniorum sui sæculi appellatus, in Comitiis generalibus Romæ, omnium votis sui Ord. Generalis Magister eligitur, cujus immaturum obitum anno 1649. Romæ die 2. Decembris secutum adhuc luget Provincia Lombardiæ. *P. Rovetta in Bibl. pag.* 178. & alibi, nos quidem in *III. Tom. Crem. Lit.*

1646 Joannes Andreas Alifer J. C. Mediolanensis, & Senator, Jacobi æque
1647 Senatoris Filius, cujus tumuli Epitaphium refert *Land. lib. 6. pag.* 216. Anno 1647. initium Tragici Belli inter Gallos, & Hispanos, cujus funestissimum Theatrum aperuere Civitas, & Ager Cremonensis. Franciscus Redenascus, Patritius Cremonensis, Homoboni J. C. Collegiati Filius, in Senatorem, ejus summa virtute, & prudentia, ex Patriæ Oratore legitur, de quo plura dicemus in *III. Tom. nostræ Crem. Lit.*

1648

1648 Hyacinthus Origonus J. C. Mediolanensis Senator. Bellum inva-
1649 luit anno 1648., die nam 2. Julii Galli, cum copiis auxiliaribus Civitatem aggrediuntur, commissis hinc inde præliis, hinc inde cladibus. Hostes tandem re infecta abiere; Verum enim est, quod quoties congressi fuimus cum Gallis, toties victores extitimus, cum profecto non sit hic locus describendi, quæ ferme triennii spatio occurrerunt. Hæc nempe descripra sunt vulgari sermone, & edita a Josepho Bressiano, indefesso Chronographo Cremonensi, & ab aliis, ac etiam Hispano idiomate a quodam Assuero Bari; Latinè vero ab Horatio Lando Rhetore in Gymnasio Palatino Mediolani, toties laudato, cui *Tit. obsidio Cremonensis.* Anno 1648. *Typis Marci Antonii Belpierii*, vulgatæ sunt doctissimæ in jure Resolutiones Cæsaris Carenæ J. C. celeberrimi, ac Patritii Cremonensis. Hoc pariter anno die 10. Aprilis Ven. Angela Seraphina de Pasinis Cremonensis, ad Cœlites evolavit in hoc Monasterio Sanctissimi Corporis Christi, ubi ejus Tumulus, Fons gratiarum perennis dici potest.

1650 Nicolaus Fernandus de Castro J. C. Hispanus, & Senator, Eques
1651 Sancti Jacobi a Spata, postmodum Præses Magistratus Extraordinariorum Reddituum; In hoc Biennio ejus Vicarius Prætorius extitit J. C. Raphael Villosa Barcinonensis Domicellus, & in Patrio Gymnasio Vespertinus olim legum Interpres, ut eruitur ex fronte sui operis, quod inscripsit *Tractatus de fugitivis*, *Mediolani cusus anno* 1651. *per Dionysium Gariboldum.*

1652 Lucas Pernigottus J. C. Derthonensis, & Senator. Anno 1652
1653 edita fuere ex Ticenensi Typographia Andreæ Magrii, Consilia Legalia sapientissimi J. C. Coll. Cremonæ, Francisci Redenaschi Senatoris, de quo supra. 1653. Amplissimo Senatorum Mediolani Ordini adscribitur, & jure quidem merito, ex Patriæ Oratore, Thomas Persichellus J. C. Coll. Patritius Cremonensis, Vir Jurisprudentia plenissimus.

1654 Joannes Bracherius J. C. Derthonensis, & Senator, huic Amplissimo
1655 Patri dicavit suas Legales Consultationes, Joseph Dondeus Derthonensis J. C., cum prototypo ejusdem Senatoris in fronte libri anno 1667. Typis Mediolanen. De Joanne Bracherio fit mentio in editione facta hoc anno a Petro Paulo Bonetto, Patritio Cremonensi, exinde Senatore, de quo infra, *libri in fol.*, cui Titul. *Antiqua Ducum Mediolani Decreta*, in Epistola nuncupatoria Excellentissimo Mediolani Senatui. Anno 1654. Angelus Maria Ciria noster, ex Ord. Serv. B. V. Theol. Insignis Theati Archiep. lectus est, ut ex suis literis Patriæ datis, die 21. Martii, qui desiit in humanis esse post menses quindecim ab ejus electione. Anno 1655. memoratus Cæsar Carena, æterna dignus utique memoria, *Cremonæ Typis Joannis Baptista Belpierii*, edidit famigerabilem Tractatum *de Officio Sanctissimæ Inquisitionis*, dum esset Consultor, & Advocatus

Fisca-

Fiscalis S. Officii in Patria. *Et Veronæ typis Rubeanis*, vulgavit Jo: Paulus Melius suarum Allegationum volumen secundum.

1656 Joannes Ramos de Manzano J. C. Hispanus, & Senator, deinde Ma-
1657 tritum evocatus de anno 1661. in Præceptorem Regis, nunquam perituræ memoriæ, Caroli II. Austriaci, cujus etiam fuit Consiliarius, scripsit mandante Augustissima Caroli Genitrice egregium *responsum pro juribus Catholicæ Majestatis, contra pretensa Christianissimæ Francorum Reginæ, Mediolani ingressum.*

1658 Carolus Bellonus J. C. Papiensis, Pauli olim memorati Filius Senator;
1659 Postmodum Regens in Supremo Italicarum Rerum Consilio, & Præses Magistratus Ordinarii, demum Senatus Excellentissimi.

1660 Joannes Baptista Putheus J. C. Alexandrinus, & Senator, dein Præ-
1661 ses Illustrissimi Magistratus Ordinariorum Redditaum. Anno 1660. Petrus Vidonus, Patr. Cremonen. Episcopus Laudæ Pompejæ, apud Sarmatiæ Regem, difficilimis temporibus Legatus, die 5. Aprilis ab Alexandro VII. S. P. Purpuram, summis laboribus, ac vigiliis est consecutus; Hinc Cives in publicas lœtitias difusè, tantæ dignitatis collacione nunciata, ignibus etiam arte congestis, tenebras nocturnas verterunt in lucem, cordisque hilaritatem innumeris plausibus aperuerunt.

1662 Joseph Loaysa J. C. Hispanus, & Senator; Exinde Præses Illustrissi-
1663 mi Magistratus Redditaum Extraordinariorum.

1664 Franciscus Villanus J.C. Pontremulensis, & Senator. Anno 1664. 10.
1665 Decembris decessit Vincentius Bonjoannes, Insignis Coll. S. Agathæ in Patria Mitratus Præpositus, ex Proth. Apost. de numero Particip. aliis titulis clarus, qui fuerat electus anno 1631. ex eadem Nob. Familia, floruit Bernardus, Camerini Episc., & Nuncius apud Sarmatiæ Regem, necnon Gentilis S. T. D. qui edidit librum aureum Italicè, de Virtute Clementiæ, typis Venet. anni 1635.

1666 Antonius Maria Herba J. C. Novocomensis, & Senator, dein Re-
1667 gens honorarius cum salario, Nepos ex Sorore Sanctiss. Pontificis Innocentii XI. antea Benedicti Odescalchi, cujus gloriosæ memoriæ adorationem super Altaria Mundus Catholicus enixè suspirat.

1668 Andreas Gambarana Comes J.C. Papiensis, & Senator; Inter cæ-
1669 tera ejus Justitiæ, & Pietatis monumenta extruxit in Prætorio Sacellum, ut quotidie incruentum Sacrificium Deo immolaretur, & B. V. M. sine labe Originali Conceptæ dicavit, ut lapis in Aula Prætorii publica indicat, hisce notis:

Justitia, & Pietas osculatæ sunt
Prætorio Sacellum hoc addidit.
Ut Aulæ Incolam pietatem faceret.
Virgini Immaculatè Conceptæ dicavit.
Ut Originali Justitia Tribunal splendesceret.

Comes

Comes Andreas Gambarana ex J. C. Colleg. Ticinensibus Reg. Mediolani Senator, & Cremonæ Prætor MDCLXVIII., & MDCLXIX.

1670 Carolus de Clericis J. C. Novocomensis, ex Capitaneo Justitiæ
1671 Senator, dein Regens in Supremo Italicarum Rerum Consilio, apud Regem Dominum. Habuit Vicarium Prætorium Marchionem Don Georgium ejus Filium, ex Euphemia de Bonettis Nob. Cremonensi Uxore, decoratum exinde, Quæstura togata in Magistratu Extraordinariorum, a qua transitum fecit ad aliam in illum Ordinariorum Redditunm; postmodum anno 1684. inter Senatores cooptatus, ætatis suæ annorum 38., sequenti 1685. ad Summum Regentis munus ad Regiam Aulam Matriti evocatus. Ad Patriam indè reversus, Majo 1691. Supremi Cancellarii dignitate ad annum, usque 1695. insignitus, quo de mense Octobris ad Præsidis gradum Magistratus Ordinariorum Redditunm conscendit. Anno verò 1710. inter intimos Cæsareos Consiliarios Status, ex munificentia Augustissimi Caroli VI. assumptus, tandem Martio 1717. ab eodem Domino nostro in Præsidem Senatus Excellentissimi elevatur; Dumque hæc scribo, *Vivit, & vivat ad Nestoreos annos*. Anno 1670. Petrus Isimbardus Ticinensi Nobilitate clarissimus, ex Carmelitico Instituto, & Lectore in Romana Sapientia, per ressignationem Francisci Vicecomitis Episcopi nostri, hujus Patriæ Antistes, renunciatur. Quatuor tantum annis in Sede vixit. Eodem anno, die 30. Decembris in Consilio Generali Nob. Decurionum, inter Patriæ Cœlestes Protectores, Divus Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus, solemniter acclamatur.

1672 Jacobus Menochius J. C. Papiensis, & Senator, dignissimus Nepos
1673 illius Jacobi doctissimi, ac tot operibus editis clarissimi, cujus extat Epigraphe Sepulcralis a Claudio Achillino Bononiensi, Viro clarissimo composita, in B. V. a Canepa Nova Ticini, quam placet hic exscribere ad tanti Viri, nunquam satis laudati, memoriam.

Jacobus Menochius
Magnum Justitiæ Oraculum.

In Pedemontana, Patavina, Ticinensi, Cathedra, tum Mediolani, cum Senatorem, mox Præsidem, & Regium ageret Consiliarium, denique in Orbe Universo auditum, hic tacet, consulenti tamen adhuc responderet, si plura, quam scripsit, dici possent. Obiit anno Christiano MDCVII. die 10. Augusti, natus anno LXXV.

1674 Lucas Pertusatus Comes J. C. Alexandrinus, ex Advocato Fiscali
1675 hujus Cremonensis Curiæ anno 1662, Advocatus Fiscalis Generalis, exinde Senator, postmodum Regens in Supremo Italicarum Rerum Consilio apud Regem D. N., successive Præses Magistratus Ordin. Redditunm, & hinc iterum ad eidem Supr. Cons. evocatus Matritum, Mediola-

diolanum denique rediit Senatus Princeps anno 1683. & ob ejuſdem eximia merita poſt 34. annos, quibus tantum munus, tanta cum laude exercuit, jubilationem, ut ajunt, ætati ſuæ condignam ab Auguſtiſsimo D. obtinuit Novembri anno 1716. Vir ſingularis prudentiæ, equitatis, & juſtitiæ. Cum eſſet Prætor die 15. Martii 1675. aulam Conſilii Generalis Nob. Cremonæ Decurionum ingreſſus, ſumma comitate, qua ſemper quoad vixit exclaruit, eos certiores reddidit de noviſsima Regentis dignitate, prima vice in eum collata, & Patriæ noſtræ apud Potentiſsimum Regem D. N. ſe obtulit profuturum; Hinc ei ſuffectus fuit pro anni complemento, nec non pro ſucceſsivo Biennio Comes Marcus Areſius. Hoc anno 1675. a Clemente X. S. P. die 27. Maii Purpureo Galero inſignitur Bernardinus Roccius Cyriaci Cardinalis Pronepos, datis antiquæ Patriæ ſuæ Cremonæ geminatis literis diei primæ Junii, & ſextæ Julii. Primates igitur, quibus incumbit, Urbi præeſſe, publicas in Cathedrali Eccleſia gratias Deo harmonicis concentibus peragi decreverunt, repoſito ejus prototypo poenes alios Purpuratos Cives in pub. Palatio. Eodem tempore creatur Card. P. Philippus Thomas Huvardus Anglus, Ducis Nortſolciæ F. & Regis Sobrinus, qui cum receperit habitum Ord. Præd. in Conv. S. Dominici Cremonæ die 28. Junii 1645. ejuſdemque affiliationi, ut ajunt adſcriptus, poſſum eum æque bene inter noſtros Cives conumerare, *ex reg. dicti Conventus, & P. Cavalerius ubi de Card. ſui Ord. latè.*

1676 Marcus Areſius Comes J. C. Mediol. ex Advocato Fiſcali Generali,
1677 Senator, inde Regens in Supremo Italicarum Rerum Conſilio, demùm Præſes Magiſtratus Redituum Ordinariorum.

1678 Rodericus Antonius Quintana J. C. Hiſpanus, & Senator, inde Si-
1679 ciliæ Conſultor. Anno 1678. Carolus Felix Matta noſter, Epiſcopus S. Severi in Apulia, Romæ edidit *Typis Tinaſſii*, volumen eruditiſsimum, & apprimè neceſſarium de *Canonizatione Sanctorum*, alia inſuper opera prælis conceſsit; Erat admodum prædilectus Eminentiſs. Urſino, tunc Archiepiſcopo Beneventi, cujus erat Suffraganeus, modo vero in Petri Solio Benedicto XIII. Anno 1679. die 31. Auguſti, & prima Septembris Auguſtinus Iſimbardus Mon. Caſsin. Epiſcopus Cremon. promulgavit ſuas Conſtitutiones Synodales.

1680 Petrus Pacheco, & Navarete J. C. Hiſpanus, & Senator. 1680. No-
1681 vembrio menſe Petrus S. R. E. Card. Vidonus, Romæ ex humanis exceſſit; Hìc in Eccleſia Divi Himerii, culta per Patres Carmelitas Excalceatos, die 6. Aprilis 1681. eidem parentalia ſolemniori pompa celebrantur.

1682 Joſeph de Leiza Eraſo J. C. Hiſpanus, & Senator, qui anno 1699. in
1683 Supremo Italicarum Rerum Conſilio Adv. Fiſcalis electus, dein Arragoniæ Regens evehitur anno 1701. -- 1683. Septembrio menſe ob

Turcas

Turcas fugatos, & victos ab obsidione Viennæ in Austria, Urbs nostra in omni genere lœtitiæ, tum in Templis solemniter Deo gratias egit, cum in Turre Majori, & viis, luminaribus innumeris noctis tempore plausit. Tandem visum fuit super ingens lugubre pegma in Platea Prætorii, Turcarum Principis simulacrum, nitrato pulvere elaboratum, ab igne consumptum, sic Cæsareos triumphos extollere, fidissimo obsequio Cives optimum duxere.

1684 Gaspar de Rosales, Eques S. Jacobi, Marchio Castrileonis, & Vay-
1685 lati Comes, J.C. Mediolanensis, & Senator, ac Hispana Nobilitate perspicuus. Anno 1684. Senatoria Abolla præcingitur Petrus Paulus Bonettus, Cremonensis Patritius, Filius Joannis Baptistæ pariter Senatoris, de quo supra, ex Oratore Patriæ, ex Vicariis, & ex Advocatis Fiscalibus totius Mediol. Dominii; demum Papiæ Prætor.

1686 Sigismundus Calchus J.C. Mediol., ac magni nominis Advocatus,
1687 & Senator; Exceptus die 27. Februarii anni 1686. in Consilio Nob. Decurionum.

1688 Joannes Thomas Galaratus Marchio J.C. Mediolanensis, Rerum
1689 prius Capitalium in toto Mediolanensi Dominio Præfectus, mox Se-
1690 nator, Familiæ siquidem Senatoriæ, quæ duodecim numerat summa
1691 felicitate Amplissimos Senatores, ut de altero Joanne Thoma ejus Avo scribit *Landus lib. 6. pag.* 217. sub ejus insigniis in Prætorio depictis legitur; Primum fuisse hujus Urbis Quadriennalem Prætorem. Amplissimus Senator Bonettus, superiori loco nominatus. Anno 1688. e Typis Malatestæ vulgavit suum *Armamentarium*, *sive Edicta de armis*, edita ab Excellentissimis Mediolani Gubernatoribus, Opus tum legali, cum omnimoda eruditione refertum. Tanti Auctoris circumfertur edita pariter perelegans Scriptura, cui Titulus: *Elenchus onerum impositorum Subditis Mediolanensibus Provinciæ*, *ab Excessu Francisci II. postremi Ducis Sfortiadum ad hæc usque tempora*. Anno 1690. die prima Novembris Divus Petrus Martyr, ex inclyto Prædicatorum Ordine, Primus Cremonæ contra hæreses Inquisitor, ut ex Cathalogo Inquisitorum nuperrimè vulgato, per Reverendiss. Patrem S.T.M. Hermenegildum Todeschini de Mantua, Generalem in hac Patria Inquisitorem vigilantissimum, in Consilio Generali Nob. Decurionum, Cremonæ Protector, cum approbatione Sacrorum Rituum Congregationis Romæ die 16. Decembris ejusdem anni eligitur. Anno 1691. Senatoria veste exornatur Franciscus Redenaschus, memorati Francisci pariter Senatoris Filius, Patriæ Orator meritissimus.

1692 Philippus Archintus Comes J.C. Mediolanensis, & Senator. Die 18.
1693 Aprilis 1692. Victorius Amadeus II. Dux Sabaudiæ, modo Sardiniæ Rex, Princeps de Comercì, Marchio de Leganes, Marchio Parella, Archistrateghi Caraffa, & Palphus pro Cæsarea Majestate, habuerunt Comitia

Comitia bellica in Palatio Prætorio, in quo per Comitem Archintum generoso hospitio suscepti fuere. Plura de hoc nobiliss. Senatore legenda sunt, sicuti de nonnullis aliis ibi recensitis Senatoribus Mediolanensibus, Prætoribus nostris, penes *Joannem Sitonum de Scotia Nob. J. C. Mediol. in suo libro, cui tit. Colleg. J. C. C. Mediol.* Auctor, qui ab hoc Senatore diligebatur, cum autumnalibus feriis anni 1693. Prætura abesset, ab eodem constituitur ejus Locum Tenens, ex rogitu Dominici Qualeoni Notarii Coll. hujus Urbis, diei 28. Septembris.

1694 Petrus de Casado Rosales J. C. Hispanus, & Senator; die 29. Januarii
1695 excipitur in Consilio Generali. Anno 1694. Novembrio mense, usque ad finem Januarii 1695. immodica licentia Militum, hìc in stativis, nocturnis incommodis, & vexationibus excessit, Civibus quietem, & somnum exturbando, adeò ut ad eam tandem compescendam, & extrema mala tollenda, Civium ipsorum patientia in extrema remedia erupisset, nisi provida, & Superior in tot angustiis Manus opem tulisset. Hoc anno edita sunt Decreta Synodi Diœcesanæ, quam habuit Ludovicus Septala Episc. noster diebus 10. 11. & 12. Maii 1694.

1696 Hieronymus Gambarana Comes J. C. Papiensis, & Senator, Filius
1597 memorati Comitis Andreæ Prætoris annis 1668., & 1669.

1698 Carolus de Vicecomitibus Comes J. C. Mediolanensis, ex Capitaneo
1699 Justitiæ Senator. Anno 1699. Augustinus Romanus de Floribus, modó Abbas Camaldulensis Cremonensis, Romæ edidit *apud Comarch typographum Boemum*, librum doctissimum in folio, cui tit. *Ecclesia in Triplici Statu, Legis Naturalis, Legis Veteris, & Legis Novæ*, dicatum Innocentio XII. S. P.

1700 Petrus Paulus Arrigonus J. C. in Mediolani Foro, suæ tempestatis
1701 longè celeberrimus Advocatus, ac ex Advocato Fiscali Generali, Senator. Anno 1700. sæculi finis, die prima Novembris fuit vitæ finis Potentissimi Caroli Secundi Austriaci, Hispaniarum Monarcæ, cujus immaturi funeris, non absque mœrore, & fletu, adhuc recordamur. Anni sequentis initio, Gallicarum Legionum adventus in Mediolani Dominii Urbes, præsertim veró in nostram. Die 26. Septemb. Cremonæ moritur Hieronymus Silva, Eques S. Jacobi a Spata, qui triginta annos, & ultra Militum Tribunus strenue decertaverat in Belgio. Eodem anno die 11. Decembris, ex Decreto Generalis Consilii Nobilium Decurionum, conceditur Piissimo Viro Dominico de Malossis, Cathedralis Cremonæ Canonico, Oratorii erectio, sub Invocatione Sancti Joachim, illudque, cum domo exindè assignavit Venerabilibus Presbyteris Missionum Spiritualium nuncupatis, quorum Fundator emicuit exacto Sæculo, Vir Sanctimonia Præsignis Vincentius de Paulis, Gallus, anno 1729. in Beatorum Ordine a S. P. Benedicto XIII. relatus; die veró 23. Octobris 1702. inhabitare cæperunt Domum

con-

conceſſam. Anni 1701. initio ſupremum diem adit celeberrimus Epiſcopus Matta, de quo egimus, ad annum 1678., eodem anno Octavius Picenardus, ex Canonico Theologo Cathedralis in Patria, Epiſcopus Regii Lepidi, cum titulo Principis a Clemente XI. S. P. eligitur, ut ex ſuis literis diei 5. Martii, Patriæ, & mihi etiam datis.

1702 Joannes Galeatius Vicecomes J. C. Mediolanenſis, ex Regii Fiſci Pa-
1703 trono, Senator. Die 6. Martii ex Sindicatore Præturam ſumpſit, primo ſui regiminis anno; cum adhuc eſſet ex Sindicatore Pro-Prætor, contigit fatalis illa dies prima Februarii, qua Urbs noſtra a Germanis Militibus repentino, ac nocturno incurſu aggreſſa fuit, quo quidem eventu ab eodem Amplisſimo Patre ad Prætorium vocatus Auctor, non abſque vitæ diſcrimine, ipſa die, noctuque in tot rerum fluctuantibus anfractis, cum eo permanſit. Die 3. Julii ejuſdem anni hora 15. Rex Philippus V. ingenti Magnatum Hiſpaniæ, ac Principum Comitatu Cremonam ingreditur, ubi decem, & octo dies in publico Civitatis Palatio hoſpitatur, ad quem inviſendum acceſſere, præcipuè Cardinalis Dolphinus Epiſcopus Brixiæ, Franciſcus Farneſius Parmæ, Carolus Ferdinandus Mantuæ Duces, aliique Primates Inſubriæ.

1704 Joannes Baptiſta Modegnanus J. C. Laudenſis Senator; exinde, ex
1705 Regentibus in Supremo Italiæ Conſilio, tum Barcinonæ, tum Viennæ Auſtriæ, apud Auguſtiſsimum Carolum Sextum; demum initio anni 1717. Præſes Magiſtratui Ordinariorum Reddituum Mediolani, obiit 7. Januarii anno 1727. Anno 1704. die 3. Martii ex pietate, & opera P. Franciſci Raymundi S. J. Nob. Cremonenſis, Sacrum Gyneceum erigitur Cremonæ, e regione Divi Salvatoris, pro cuſtodiendis, ac inſtruendis Puellis ſub tutela S. Joſeph, *Conſervatorio*, vulgariter nuncupatum, annuentibus Nobilibus Patriam Regentibus, cujus modò forſan in melius mutata facies videtur, ex protectione Cæſarea, & ex Privilegio Invictiſsimi Caroli Sexti, Domini Noſtri decoratum. Anno 1705. die 5. Martii piiſſime obiit Auguſtiſſimus Leopoldus Primus Imperator. Initio Novembris, Padi furioſa, horribilis, ac funeſta à ſæculo non perpeſſa eluvio, nulliſque coercita ripis in agros effuſa, fractiſque Aggeribus omnia longè, lateque demerſit, ut camporum planities tranſiiſſe propè videretur in maria; Infinitæ igitur propemodum Hominum, & Armentorum ſubmerſiones, luctuoſæ quidem recordationis.

1706 Joannes Galeacius Vicecomes iterum, qui in hoc ſuo ſecundo regi-
1707 mine meliorem ſortem nactus ob Gallorum de menſe Aprilis 1707. receſſum, adeò lætatus eſt, ut ſua gaudia publicè oſtendere non dubitaverit; unde ad Civium recreandum aſpectum, Januam Prætorii, expoſitis Auguſtiſſimæ Familiæ Inſigniis, hoc elogio exornavit.

Uni-

Universa Subalpina Gallia
Austriacæ Domui restituta,
Eugenio Sabaudo Duce,
Gentilitium Anguem,
Quem Don Joannes Galeacius Vicecomes,
Carolo Tertio Hispaniarum Regi,
Cæsari Liberatori dicare non potuit:
Iterum Prætor anno 1707.
Firmiori publica felicitate consecrabat.

Anno 1706. 13. Martii Romæ obiit Joannes Franciscus ex Marchionibus de Rota, utriusque Signaturæ Referendarius, & Abbreviator de Parco Majori, pluries Urbium Ditionis Ecclesiasticæ Gubernator, meritis, & doctrinis clarissimus. Anno 1706. die 7. Maii Raynutius Marchio Pallavicinus Civis noster, ex privilegio, Uberti Marchionis Filius, a Clemente XI. S. P. ex Almæ Urbis Gubernatore, ad Sacram Purpuram elevatur, consciam reddens humanissimis suis epistolis Patriam nostram, suæ emeritæ promotionis, in cujus grati animi monumentum perenne, picta ejus Effigies aliis Cardinalibus Cremonensibus adjungitur. Die 15. Julii ejusdem anni 1706. Philippus Borbonius Dux Aurelianensis per Padum navigiis vectus Cremonam appulit, Comitia ibi initurus cum Gallicarum Legionum Tribunis, quorum ipse in Insubria Præfectus honorabatur. Eo anno omnes milites Galli die 10. Aprilis Cremona recesserunt.

1708 Antonius Burrus Comes J. C. Mediol. ex Quæstore Redditum Ex-
1709 traordinariorum, Senator. Anno 1708. denascitur Romæ ægritudine potius, quam ætate pressus Thomas Vidonus, Petri Card. Nepos, Archiepiscopus Edissenus, & Apostolicæ Cameræ Clericus, olim Urbis Veteris, Fabriani, & Firmi Gubernator, inde Insulæ Melitensis Inquisitor, & demum Nuncius apud M. Etruriæ Ducem. Anno 1709. Hyems ferme quotidiana nive incanuit; unde damnosissimum frigus.

1710 Idem Comes Burrus, ex Decreto S. E. diei 20. Novembris confir-
1711 matus in Prætura. Die 16. Augusti 1711. Homobonus Xaverius, Auctoris Filius in Magnifico Divi Dominici Templo, Philosophicas Theses ad mentem Angelici Aquinatis, publicè propugnaturus feliciter exposuit, præsentibus præcipue Illustrissimis, ac Nob. Viris Præsidibus regimini, ac Decurionibus Patriæ, quibus easdem Theses typis excusas dicavit. Adest & ipse Arcadum Coloniæ Cremonensi adscriptus, Nomastus Prischeus appellatus. At procedamus ad alia, perennibus digniora monumentis. Die 3. Novembris ejusdem anni Joseph Renatus Imperielis, S. R. E. Cardinalis Clementis XI. S. P. de Latere Legatus ad Invictissimum Carolum VI. (utpotè, qui defuncto Josepho Fratre Augustissimo die 17. Aprilis hujus anni Imperio

perio, & tantæ Regnorum moli successerat) tunc Mediolani commorantem, comitatu quidem Præsulum, & Equitum prænobili, Cremonam venit, cui fuit imprimis cura Ecclesiam Cathedralem lustrare, opemque divini Numinis, ante hospitium ipsi paratum apud Marchiones de Alis exposcere. Die 6. subsequenti Carolus Princeps Neuburgensis, Mariannæ Theresiæ Imperatricis Frater, itidem Urbem nostram invisit. Die verò Mercurii 11. illius mensis hora 22. Imperator ipse Carolus VI. Optimus, Maximus Patriam nostram, totam in lętitiæ, & gratulationis signis effusam, suo Austriaco aspectu decoravit, in iisdem Ædibus Marchionum de Alis impari obsequii, & amoris significatione exceptus, Viennam Austriæ profecturus, decretis ibi eadem die peculiaribus legibus, quæ typis impressæ circumferuntur; Insuper ut fidissimis Civibus clementissime morem gereret, Marchionem Petrum Goldonum Vidonum, eo tempore Patriæ Oratorem Mediolani, Senatoria Toga exornavit die 4. Novembris, qua Divi Caroli festiva Solemnitas quotannis recolitur; & hic nequeo omittere, quin memorem præstantissimum ejusdem Marchionis Fratrem Joannem Baptistam, in Alma Urbe Præsulem, necnon in præcipuis S. P. Ditionis Urbibus Gubernatorem, & dum hæc scribo, Præsidem Apostolicæ Cameræ. Anno eodem die 19. Decembris in hac Urbe Congregatio Presbyterorum sub Invocatione S. Philippi Nerii, Antistite piissimo Carolo Octaviano Guasco, Cremonæ instituitur. Die 17. Augusti 1713. in Ædibus Paroch. S. Matthiæ Apostoli collocatur, mox ipsis donato Theatro cum Domo addjecta a Marchione Bartholomæo Ariberto, anno 1714. mutata Theatri Scena in Sacras Ædes, pedem ibi figunt.

1712 Franciscus Castellus Marchio J. C. Mediolanensis, ex Advocato
1713 Fiscali Generali, Senator; die prima Junii 1712. in Consilio Nobilium Decurionum ad Præturæ possessionem immissus; cum Senator Julius Calderarius, qui Comiti Burro successor delectus fuerat, Gubernium Magistratus Ordinar. Reddituum, ob illius Amplissimi Præsidis absentiam subire, fuerit a Cæsare delegatus; unde Mediolano discedendi non fuit ei locus. Die 9. Maii 1713. Augustissima Imperatrix Helisabeth Christina Caroli VI. Uxor, Viennam ex Catalaunia, Invictissimum Conjugem aditura, a quo per decem, & octo menses fluctuantis fortunæ inconstantia eam disjunxerat, Cremonam suo adventu feliciorem reddidit, eodem Nob. Hospitio, quod Cæsar exceperat; Hinc in maximi gaudii argumentum, fanalia in Urbis fenestris, tribus noctibus eluxere, aliaque sincerissimi obsequii signa dederunt Cives ex corde. Hoc Biennio in Agro Cremonensi Epidemia Bovina adeò invaluit, ut ejusdem generis morbo succisi ultra quadraginta millia enumerentur. Hinc plurimi adhuc deflent jacturam, adeo culturæ agrorum sensibilem. Moti igitur Nobiles Præsides Urbis Regi-

mini, tot publicis lacrymis, ac ærumnis, eorum preces Monarchæ nostro Invictissimo direxerunt, quibus clementissime suis humanissimis literis diei 8. Octobris 1712. respondere dignatus est; dein Paterni sui amoris experimenta impartiri.

1714 Idem Marchio Castellus, Auspice Serenissimo Eugenio Sabaudiæ
1715 Principe, Mediolanensis Imperii Summo Moderatore, in Præturа hoc Biennio confirmatur.

1716 Carolus Castillioneus Marchio, J.C. Mediolanensis, & ex Quæstore
1717 Magistratus Ordinariorum Redditaum, Senator, modò Præses integerrimus ejusdem Magistratus, cujus meritis, doctrinæ, & nobilitati fateor me impense, & ex corde obstrictum. Die 24. Novembris 1717. Amplissimus Prætor, una cum Nob. Decurionibus interfuit exequiis Caroli Octaviani Guaschi, nunquam interituræ memoriæ Episcopi nostri.

1718 Julius Calderarius Comes J. C. Mediolanensis, qui supra, & ex
1719 Quæstore Magistratus Redditaum Ordinariorum, Senator, Die 13. Decembris 1719. Cremonam ingressus contendit, uti Syndicator Amplissimi Patris Marchionis Castillionei, dein Præturam hoc Biennio rexit. Ex opulento Legato Prælibati Antistitis Guaschi, primo ab Urbe Lapide in Loco nuncupato *il Zocco* ædificatur ampla Domus, ad Exercitia Spiritualia peragenda, tum a Sacerdotibus, cum a Laicis: Executore piissimæ dispositionis, humanissimo Cremonæ Patritio Joanne S.R.I. Bar. Francisco Gerenzano Bonhomi, Archipresbytero Cathedralis, tunc, & modo Provicario Generali Curiæ Episcopalis.

1720 Joannes Galeacius Vicecomes tertia vice Prætor. Mense Februa-
1721 rii 1721. Homobonus Hieronymus Rota J.C. noster, ex selectioribus Advocatis in Foro Mediolani ab Augustissimo Cæsare Latoclavo donatur, de cujus honore me, antiquæ nostræ necessitudinis gratia per Epistolam monuit, die 19. Februarii, ejusdem anni; Prætor exinde in Urbe Ticinensi inexpleto Biennio, die 10. Maii anno 1723. è vivis excessit: Hoc anno Ager Cremonensis ex insueto aeris ardore damnosam siccitatem perpessus est. Eodem anno 1721. Cremonæ instituitur mense Novembrio Colonia Cremonensis Arcadum, ex placito Romanæ Generalis Arcadum Academiæ, ibi constituto Vices Custodis Agente, hujus Opusculi Auctore.

1722 Petrus Antonius Calchus, ex Regio Fisci Patrono J. C. Mediol. &
1723 Senator, Amplissimi Patris Sigismundi Jurisconsultissimi Senatoris Filius, qui Prætor annis 1686. & 1687. fuerat. Mense Januarii 1722. exceptus in Generali Consilio Nobilium Decurionum, pro eodem interveniente, ex mandato, Antonio Crotto J.C. Coll. Insignis tituli in Patria Advocato, demortuo anno 1725. Mense Majo 1723. Præpositura Generalis dignitate condecoratus fuit secunda vice, prima vero anno 1714. inspectis singularibus ejus meritis, & commendabili præceden-

cedente regimine, Carolus Maria Lodi Congregationis Somaschæ, Patritius Cremonensis.

1724 Idem Petrus Antonius Calchus confirmatur hoc Biennio, ex De-
1725 creto Excellentissimi Cæsareæ Majestatis L. T. in Mediolani Dominio. Anno 1724. currente prima Dominica Octobris Antonius Maria ex Marchionibus Pallavicinis Cremonensibus, Archiepiscopus Neopacti a S. P. promulgatur. Comes Joseph Joannes Antonius Cattaneus ex Oppido Insigni Soncini Cremon. Diœcesis, Togatorum Doctissimus, ab Augustissimo Carolo VI. ex Regio Cæsareo Advocato Fiscali, Senator deligitur. Hinc de ejus emerita dignitate literis suis diei 24. Januarii 1725. participes reddidit Nobiles Præsides Regimini nostræ Urbis, quam semper, ut Patriam jugi studio dilexit; meque etiam conscium in hac lœtitia distinxit, modo Ticinensi Præturæ designatus est.

1726 Antonius Stoppanus J. C. Mediolan. ex Generali Auditore Exerci-
1727 tuum in Mediolanensi Dominio, Senator electus. Die 18. Decembr. 1725. Syndicator Illustriss. Calchi Cremonam venit, eademque die ex legibus municipalibus in pleno Nob. Decurionum cætu, durante Syndicatu, Provicarius deputatur Joseph Treccus J. C. Col. Comes, & Eques, qui in ætatis flore præcoces Jurisprudentiæ fructus prænunciare non desinit. Die vero 7. Februarii 1726. Ampliss. Stoppanus Prætor de more excipitur. Anno 1726. Homobonus Piso Civis noster clarissimus in Patavina Universitate, ab annis Medicinæ practicæ Professor, vulgavit ibi *ex typis Jo: B. Conzatti* Opus, cui tit. *Methodus Medendi, cui accessit nova in Sanguinis circulationem Inquisitio*. Anno 1727. nocte præcedente festum gloriosissimi S. Joseph, horriferum, & fortuitum incendium excitatur in Domo Auctoris, a sæculis Cremonæ non visum, nec auditum, a quo præter cætera ingentia damna, non tam ab igne (quinque horarum spatio domesticis ignoto, succrescente, ac ventorum conjuratione ferè inextinguibili) quam a nocturnis Prædambundorum turmis illata, in cinerem redacta fuit tota ejus Voluminum Historicorum copiosa Bibliotheca, in qua quidem pretiosa, & singularia manuscripta asservabantur, nec non Tertius liber, jam completus, & quartus, cui pauca deerant, suæ Cremonæ Literatæ. At quod *mihi frigidus horror membra quatit*, illud est in Patriæ memorabile detrimentum combusta periisse, etiam prima exemplaria, plurimæque adnotationes, e quibus exscripti erant in diligentiorem formam libri prædicti; adeo ut mihi impossibile sit illorum omnium, & singulorum, si centum adhuc viverem annos, commeminisse. Deus scit a quo ignis hic voracissimus causam habuit; unde fas est causæ causarum repetere, *Hic ure, hic seca, hic nihil parcas, ut in æternum parcas*. Hoc pariter anno postremis diebus Aprilis celebrata fuit magni-

fico in Cathedrali apparatu Synodus Diœcesana a Nobilissimo nostræ Patriæ Antistitæ Alexandro Litta, cum ejus Venerabilissimo Clero.

1728 Idem Stoppanus confirmatur in hoc Biennio, ut ex Decreto S. E.
1729 diei 8. Januarii 1728. & optime quidem, tam pro justitiæ integro adimplemento, quam pro opportuna instauratione Prætorii, primo sui regiminis anno, mesaularum præsertim è regione Viridarii, quæ jamdiu neglectæ ruebant; secum ipse iterum retento Don Carolo Filio unico, Vicarii sui titulo insignito, qui licet juvenilibus annis effloreret, senili moderatione, & maturo ingenio eam Provinciam integro quadriennio, Civium omnium, & præsertim in foro Versantium, admiratione complevit. Anno eodem, mense Martio a S. P. Benedicto XIII. P. Jo: Bapt. Aribertus, ex Congreg. S. Philippi Nerii, Palmiræ Archiepiscopus nominatur, ac eodem fermè tempore Ignatius Maria Crivellus Prothonotarius Apostolicus ex Participantibus, & utriusque Signaturæ Referendarius, Vice Legationi Ferrariæ præficitur. Mensis Maii initio prodigiosè detegitur Puteus ille, quem Divi Patriarcæ Dominicus, & Franciscus tunc Cremonæ commorantes, benedictione purgarunt anno 1228. in Burgo S. Gulielmi (tunc Suburbano, modo propè Urbis promurale) cujus aquæ primum putridæ, claræ, & salubres effectæ sunt; Sed alibi de hoc diffusè tractabimus. Eodem anno die 14. Augusti in Consilio Generali Nob. Decurionum decretum fuit ad pias preces P. Antonii Mariæ de Raymundis, Clerici Regularis Theatini, nomine aliorum PP. S. Abbundii, ut quotannis die 10. Decembris, Festo Translationis Sanctæ Domus Lauretanæ, pulsentur singulis horis tintinnabula Nolana Majoris Turris, in signum honoris erga B. V. Mariam Lauretanam, peculiarem Protectricem Urbis Cremonæ, anno 1625, Civium omnium votis electam. Anno 1729. die undecima Septembris per S. P. Benedictum XIII. consecratur Episcopus Eucarpiæ, & Coadjutor Episcopi Comaclensis Joannes Antonius Cavedus noster, ex Minor. Observ. S. P. Francisci, qui Provinciæ Bononiensis fuerat Moderator, aliisque muniis sui Ordinis conspicuus, cui Auctor multum debet, cum fuisset ei Socius in Peregrinatione ad Sanctum Alverniæ Montem, Sacrorum Stygmatum S. Patris Francisci Theatrum mense Maii 1719. Anno pariter 1729. Autumno maxima in Agro Cremonensi Uvarum copia, & a sæculo inaudita, sicuti in tota Insubria; Mense vero Novembrio ingens Padi inundatio, illi ferè comparanda anni 1705.

1730 Hercules Menochius, ex primario Legum Interprete in sua Nobi-
1631 lissima Ticinensi Universitate, Jacobi Senatoris, & Prætoris Cremonæ, de quo supra, Filius, & Abnepos alterius Jacobi Jurisprudentiæ Oraculi famigeratissimi, Cremonam adivit die 12. Decembris 1729. Syndicator Amplissimi Stoppani, exindè Prætor, sui Illustris. Genitoris inte-

integritatem, virtutem, & sortem, creditur, æmulaturus, de quo tempore ejus regiminis, scriptum fuit sequens elogium, cum Anagrammate, non inconcinno.

Quod in Vicarii Prætorii munere relictum,
post se desiderium sui impleverit,
supra spem, supra vota
præteritorum conscia Beneficiorum,
futurorum prævia,
Dum suam sibi gratulatur felicitatem,
Purissimo hoc Anagrammate
Cremona plaudit
Senator Jacobus Menochius.
Tu bis honos, ac Jus Cremonæ.

Durante Syndicatu, usq; ad indeptionem Præturæ, Provicarii egregium munus exercuit Horatius de Maximis de Roma J. C. Coll. Comes, & Eques, Patritius Noster, cujus excellens ingenium, & varia eruditio majores expetunt dignitates, dignum Nepotem se exhibens Reverendiss. P. D. Galeacii Abbatis perpetui in Monasterio S. Sigismundi, Ord. Divi Hieronymi Congr. Insubriæ, cujus jam emicuit Abbas Generalis. Anno 1730. ab Augustissimo Imperatore D. N. numerosas Militum Equestrium, Peditumve delectas copias, e Germania in hoc Mediolanense Dominium transvehuntur, quam major pars Urbem nostram, & Provinciam hyemali hospitio retinent, cum earum Chiliarchis, & Mareschallis, etiam ex Serenissimis Stirpibus progenitis, non dedignantibus Cæsarea sequi vexilla.

Vacante Pontificia Sede per obitum Benedicti XIII. fel. record. die 21. Februarii sequtum, memoratus Archiep. Aribertus, Conclavi S. R. E. Cardinalium præficitur, qui in obeundo hoc laudabili munere, non paucam sibi, & Patriæ gloriam vigilantissimi Præsulis comparavit. In ejusdem Sum. Pont. funere eloquentissimam habuit Orationem in Vaticana Basilica P. Thomas Augustinus Ricchini S. T. M. Ord. Præd. Civis noster eruditissimus, typis editam Romæ, ab ipsomet Auctore mihi dono traditam.

Nova Turris erigitur propè Templum Protectoris nostri Divi Homoboni, ex Civium eleemosynis, quod mirum est, ærumnosis hisce temporibus!

Mense Junio Cremonam venit celeberrimus P. S. T. L. Don Marcus Antonius de Zucchis Nob. Veron. Monacus Olivetanus, in omni scientiarum genere excultus, præsertim verò in pangendis ex tempore carminibus felici ingenio, ac mirificè ad argumenta eidem inopinatè proposita, se libentissimè exponendo, nec adeò breviter, nec unquam se expedit, quin Auditorum animos non plene erudite, ac lepide

 emul-

emulceat. Prima vice id evenit in Monasterio S. Laurentii, suæ Congregationis, secunda veró in Ædibus Episcopalibus, semper in frequentissimo Literatorum, ac Nobilium cætu.

Idem P. de Zucchis suasu Amplissimi P. Prætoris Menochii huc iterum concessit, & ibi die 22. Maii 1731. in aula majori Publici Palatii iterum auditus est, ac die 24. in Viridario Episcopii, ubi Cremonensis Arcadum Pastorum Colonia, ibidem de more congregata, dignis laudibus eum extulit, singulis Pastoribus, iisdem rythmis, quibus laudabatur, è vestigio paratus ad omnia respondit: demum omnia epilogando, profectó admirationis humanæ modum excedere visus est. Die 1. Octobris in Urbe Faventiæ hora 2. noctis mortalitatem explevit Don Petrus Cannetus Abbas Generalis Monachorum Camaldulensium, Concivis, & Amicus meus impermutabilis a teneris usque unguiculis, summæ Vir doctrinæ, & prudentiæ, cujus jacturam non sine lacrymis pluries defleo. Amici mei adeò singularis, præter cætera typis excusa opera, ex ejus Epistolis ad me per annos quadraginta, & ultra directis, tria volumina musæum nostrum exornant. Lubet hìc exscribere elogium ejus sepulcro insculptum, nobis transmissum ab Auctore, scilicet a doctissimo P. Abbate D. Guidone Grando, Concive pariter, & Amico nostro, tot, & tot præclarissimorum operum scriptore, toti Literariæ Reip. notissimo.

D. Petro Canneto Cremon.
Abbati Classis, & Camaldul. Ord. General.
Quem summa doctrina, & multiplex eruditio,
eximia facundia, & singularis humanitas,
Morum integritas, & incorrupta justitia, omnibus clarum fecere.
Obiit septuagenarius Kal. Octob. MDCCXXX.
Morte tamen immatura sibi præraptum tota Religio,
& Universa Literarum Resp. ingemuit.

Expirante Januario mense, anni 1731. Antistes noster Vigilantissimus Alexander Litta, Patriæ nostræ amantissimus, ut erga Protectorem primarium nostrum Divum Homobonum, frequentiorem promoveret cultum, marmoream Arcam sub ejus Altari in Æde suo nomini dicata, juxta sacros ritus adaperuit, jam a centum, & sexdecim annis ferreis seraculis introclusam, extractis ejusdem Sancti lipsanis, quorum pars in illa condita erat; ex eis frustula Piis, & Nobilibus Adstantibus distribuit; mox institutis supplicatione, & sacro triduo, die Dominico 28. ejusdem mensis, qui fuit tridui postremus, solemni Consecratione Ecclesiæ peracta, lipsana sub sigillis servata, ea qua decet veneratione Arcæ suæ firmiter restituit; decernendo Ecclesiam hanc Præposituralem Collegiatam, Basilicam Archipresbyteralem imposterum esse vocandam.

Die

Die Dominica 4. insequentis Februarii, cum Apostolicum Diploma Clementis XII. S. P. Mitram deferendi, aliisque utendi Pontificalibus per se, suosque Successores reportasset Abbas Carolus Vicecomes, Coadjutor viventis Præpositi Ecclesiæ Collegiatæ, de qua supra, sumptibus quidem sui Genitoris Antonii, & Gasparis Patrui, ob honorem Patriæ, ejusque Protectoris gloriam, Mitratus, ac Pontificalibus indutus, ibi Rem primo Divinam fecit, Eum comitantibus ejusdem insignis Collegiatæ Canonicis, solemniori apparatu, festivisque Nobilium totius Urbis plausibus.

Die 12. Maii Reverendiss. P. Mag. Vincentius de Comitibus a Bergomo, originem nactus ab insigni, & antiquissimo Burgo Brignani, Cremonensis Diœcesis, Seraphici Ordinis Minorum Conventualium S. P. Francisci, postquam insigniores Religionis Cathedras Theologicas impleverit, Mediolanensem Provinciam Commissarius Generalis, postea Provincialis Minister administraverit: Senis, & diu Florentiæ Generalis Inquisitor, Romæ in Comitiis Generalibus unanimi Vocalium voto, omnibus plaudentibus, Principibus, omniumque Ordinum gradibus acceptissimus, ad supremum Generalis gradum elevatur.

Mense Quinctili ejusdem anni, ex typis Cominianis Patavii recusa prodiere celeberrimi Civis nostri M. Hieronymi Vidæ, Albæ Ep. Poemata, & alia ejusdem scripta. Editio profecto omnium emendatissima, formis ornatissima. Annuentibus diligentissimis Viris Jo: Ant. & Cajetano Fratribus Vulpiis, quibus in seligendis optimorum Auctorum operibus, plurimum debet Literatorum Resp.

Die 9. Decembris, Anno sæculari currente, quo B. V. sub invocatione Lauretanæ, nostræ Urbis ex Voto acclamata Protectrix, sua apud Filium Unigenitum intercessione eam liberam reddidit a lue contagiosa anno 1631., cupientes Nobiles Decuriones, debitas gratiarum actiones potentissimæ Benefactrici humilime retribuere, annuente etiam Antistite nostro vigilantissimo; præmisso pio, ac eleganti sermone in Cathedrali, per insignem Oratorem nostrum P. D. Hyacinthum Mariam Grossum, Cler. Reg. Theat. initæ fuerunt publicæ, & solemnes per Urbem, cum delatione prodigiosæ Imaginis ejusdem B. V., Supplicationes; subinde tribus successivis diebus, cum pia Nob. Decurionum frequentia, mane, & vespere, devotionis, & religionis opera habita fuere in Ecclesia Divi Abbundii, culta per PP. Cler. Reg. Theat., cui Ecclesiæ annectitur, ultra sæculum Sacellum affabre, & adæque simile Lauretano.

Cum in Prætura, subsequenti biennio, confirmatus idem Illustriss. Menochius, ad Nos, omnium expectatione, redire paratus esset, vehementi ardore, cum erysipelate Mediolani detentus, hora noctis nona adveniente die 28. Decembris, Mors ei vitam abstulit, ac Patriæ nostræ integerrimum, & optimum Administrum inopinate eripuit.

Index Cognominum, & Nominum Prætorum, qui recensentur ab anno 1102. usque ad 1732 exclusive.

Bru-

Della

E

F

G

H

I

L

De

Ram-

Tur-

Index

Index Virorum, & Rerum memorabilium, cum adnotatione Annorum.

Gene-

Joan.


3 0112 098530824